TRES REGIS NAVARRAEI DECLARATIONES, QVAS PAVLO ANTE OBITVM REGIS AD TRES Gallici regni ordines habuerat, super iis quæ à vicesimo tertio Decemb. anni 1588. in Gallia contigerant.

Quibus adduntur mutuum Regis, & Principum, ac nobilium, de regno, & Religione conseruanda iusiurandum,

TVM LITERAE AB VTROQVE REge ad Montis Belligardi Comitem missæ. Adhæc literæ Ducis Lotharingi ad Lingonenses, & horum ad eas responsum; & declaratio, eorundem de sua in Regem fide.


OMNIA LATINE PER Tussanum Berchetum Lingonensem reddita: qui & statim initio de perfida & scelerata Regis cæde paucis agit, & vrbes Gallicas ad fidem Regi suo seruandam Lingonensium exemplo adhortatur.





SEDANI.


M. D. LXXXIX.



TVSSANVS BERchetus Lingonensis, candido pióq; Lectori. S.



VM hæ tres priores, & continua hîc serie contextę declarationes, à bonis omnibus summa voluptate lectę fuissent, dignissimæque iudicatæ, quæ ab exteris, religionis maximè, & fœderis vinculo nobiscum sociatis nationibus legerentur, vt perspectum illis etiam foret, quibus maximè causis adducti factiosi & perduelles nostri, bella hæc tam funesta susceperint: Cõtrà, quàm grauibus, iustisque rationibus perpulsus Rex ille pius sceleratam illorum, & exitiosam coniurationem restinguere sit antea conatus, atque etiamnum conetur: Ego grauissimorum aliquot virorum cohortatione persuasus, si non operæ aliquod pretium, at certè officium meum facturum me putaui, si eas lectu non minus necessarias, quàm iucundas declarationes, è Gallico sermone in Latinum conuerterem: Alioqui arrogantiæ crimen aut inertię subiturus, si tantorum





virorum authoritatem aspernarer, & tantillum laborem multorum votis, & ipsi quoque Reip. denegarem: cuius & hoc aliquatenus interesse videtur, tantam coniuratorum istorum perfidiam, & impietatem exploratissimam omnibus esse, vt ne quis posthac in illorum se laqueos imprudens induat, aut si blanda quadam Religionis, vtilitatisue specie allectus, ijs iam fortè irretitus tenetur, illinc se quamprimũ expediat, ad meliorem mentem voluntatemque se conferat, & ad eorum qui vera sentiunt, & recta sequuntur sententiam causamque adiungat, priuatæ, & publicæ saluti, ac dignitati quoad poterit, consulturus. Atq; hæc potissima, vel potiùs vnica huius versionis, & editionis ratio primùm fuit. Sed, malùm! priusquã typis hæc mandarentur, ecce ex vulnere, impiè & perfidiosè Regi inflicto, morteque inde consequuta, & luctuosa, & verè miserabili, noua alia longè magis tragica, & prodigiosa scribendi, edendique occasio & materia data fuit. Cùm enim acerbissimus omnibus fidelibus quidem subditis, & tristissimus ille Regis sui casus, eiusdemq; ad Montis Belli-

gardi

gardi Comitem literæ, ea quæ pius ille Rex Nauarręus tribus hisce declarationibus docuit, atq; adeò vaticinatus est, nimium vera esse confirment: Illud enimuerò tam horribile, indignumq; parricidium finitimis populis nō tantummodò declarandum, sed illius etiam causa, modus, & ipse minister patefaciendus fuit, (Nam authorem nemo non videt, nisi admodū est excors, atq; adeò truncus & stipes.) A quo autem veriùs hæc omnia cognosci possunt, quàm ab eo qui coniuratorum factiones, & consilia, quæ iamdudum fuerat odorat⁹, ac perscrutatus, à quarto abhinc anno, & eo ampliùs multis querelis, & edictis, est testificatus? qui famosis libellis omni turpitudinis, & contumeliæ genere, impudentissimè refertis, est laceratus? qui sua illa Basilica, vrbium Gallicarum principe, erario, solio, sceptro, rerum administratione, omni ornamēto, & vita tandem ipsa indignissimè, & crudelissimè est priuatus? Hæres verò adhuc, ô lector, quænam fuerit, tot, tantorumque flagitiorum causa? Auri sacra fames, regnique nefanda cupido. Inexplebilis, inquam, illa habendi cupiditas, & ea

quam tamdiu inhiant, ac in quam toto animo & studio, totis etiam, tùm suis, tùm alienis viribus, & opibus incumbunt, dominationis libido, tot nobis tamq; exitialia bella excitarũt: Tot etiam raptus, cędes, latrocinia, incendia, regni antea florentissimi & potentissimi vexationem, direptionẽ, & exitium, legum, iustitiæ, pietatis, literarum, bonorum virorum à pietate, bonorum ciuium à Regis obseruantia defectionem, omnium bonarum rerum interitum, denique Henrici Tertij Gallorum Regis immanissimam et iniquissimam cædem attulerunt. At Religio Catholica, Ecclesię dignitas, animarum salus, Papæ authoritas aguntur, nisi hæreticorum conatibus maturè obsistatur. Bellum sanè, & speciosum admodùm cõmentum. Quasi verò aut hæresis tollatur, aut hæretici de sua sententia dimoueantur, armorum, ac non librorum potiùs sacrorũ tractatione. Quasi illæ diuini & humani Iuris, omnisque Religionis pestes, Religionem vllam, aut norint aut curent, quasi etiam vel Papam, vel Ecclesiam veré agnoscant, aut colant, nisi quatenus aliquid inde commodi

aut

aut honoris consequi sperant. Excipio semper rerum ferè omnium imperitum vulgus, cui vt superstitiosulo nihil facilius est, quàm imponi, in Religione præsertim, & ab iis, quibus ob pietatis & doctrinæ opinionem, seq; suaque omnia credit. Excipio & plerosque alios cuiuscunque ordinis homines, qui in aliis rebus satis perspicaces, ingeniosi & eruditi, in hac tamen aut planè cæcutiunt, aut non valdè sapiunt, aut sibi suisque rebus metuunt, aut potentiorum virorum quibus addicti sunt, & à quibus omnino pendent, authoritate permoti, in quamcumque illi volunt sententiam ac viã rapiuntur. At huius coniurationis, Principes, Regiæ exauthorationis & occisionis duces, vnam vindictam & crudelitatem ex infimo pectore anhelant, dominationem solam expectant, rerum potiri volunt. Alioqui Regis, qui fuit omnium penè Catholicorum Coryphæus & antesignanus, caput petendum minimè fuit.

Fuerit tamẽ aut Hæreticus, aut Hæreticorum amicus & popularis. Ideo-

ne à regni gubernaculis tam indignè deiici, & quod grauius, atq; indignius est, vita etiam ipsa priuari tam perfidè crudeliterque debuit? Ergo egregij isti Catholici, & Catholicæ scilicet Religionis patroni, custodes & defensores, vnum tantùm ærarium, vnum sceptrum, vnum diadema venantur & captant. Quod quidem, si tu, lector, verum esse, vt est certe verissimum, credis, næ miraberis nostrorum hominũ aut cæcitatem, aut stuporem, aut contumaciam, qui neque hęc videant neque his moueantur, neq; ad sanã mentem se conuertant. Verùm multò magis miraberis istius cędis factę modum & ministrum. Dominicanus enim quidam, non Domini quidem nostri, sed sui illius Dominici, & Sathanæ administer, obseruantiæ, officij ac fidei, quã oratione, gestuque & habitu simulabat, specie, teterrimũ hoc facinus antea meditatum, gladio, in imum Regis nihil tale aut cogitantis, aut à tam religioso viro sibi metuentis, ventrẽ adacto, patrauit. Sed quid dixi, miraberis! Imò verò nihil est, quòd hîc mireris, cũ eiusmodi virorum oratio, doctrina gestus, habitus, vultus, professio, vita, deni-

denique tota nihil aliud ſit, quàm vana, quædam ſpecies, fucus, color, præſtigiæ, fraus, & mera ſimulatio. Annon, pie lector, huiuſce facinoris atrocitatem, parricidæ iſtius proditionem, & nefariam quorundam perfidiam, ac perduellionem exhorreſcis? Regis verò noſtri poſt tot acerbitates & indignitates, vicem tam luctuoſam, caſum tam iniquum, mortem tam immanem nonne miſeraris? Quòd ſi nihil aliud potes, votis certè & precibus vnà cùm bonis omnibus à Deo efflagita, vt tam atrox, tam perfidum, & crudele facinus grauiſſimis, & tanto ſceleri debitis pœnis vlciſcatur. Equidem, quod ad me attinet, breui ſpero fore, neq; id ſolùm, ſed etiam (dicam apertè) exopto, vt Deus ille noſter iuſtus, & ſcelerum & ſceleratorum vindex nefarios iſtos Catilinas tot bellorum, tantarumque calamitatum autores, itemq; reliquos ipſorum audaciæ ſatellites, & adminiſtros, incendiarios, perduelles infeſtiſſimos, carnifices bonorum, Dei gloriæ hoſtes, tranquillitatis publicæ inimicos, latrones Galliæ, euerſores pietatis, iuſtitiæ profligatores, ſcelerum fœdere inter ſe ac impia ſocietate

coniunctos (nisi iamiam resipiscant, & à suo, tam impio funestoq; incœpto desistãt) æternis supplicijs, viuos, mortuosq; mactare velit. Hanc mihi præterea spem inijciunt pietas & iustitia, quæ stant à nostris partibus, & quibus præcipue nitimur: tum pietatis ac iustitia amantes ac propugnatores acerrimi fidelissimique, pia illa heroïna & Angliæ Regina Elizabetha: Germani Principes huiusce Regni amantissimi, nobiles item, & fortissimi equites: tum Heluetij fide, & fortitudine eximij: Adhæc Galliæ præsidium & decus, secundùm Deum Borbonij Principes: atq; non pauci singularis fidei, & virtutis, Gallici duces, Comites, Vicecomites, Barones, Trib. mil. Patricij, Nobiles, Equites, veterani milites, pubes Gallica, Aquitaniæ, & Occitaniæ robur, &, qui vnus instar horum omnium est, aut certè, qui heroïcis & Imperatorijs, summo, Augustoq; Monarcha dignissimis artibus, ac virtutibus, cæteris omnibus prælucet, & citra controuersiam inuidiamque præstat, Galliæ & Nauarræ (perduellibus, licet inuitis, & pro virili reluctantibus, singulari tamen Dei prouidentia)

Rex

Rex Henricus. Quidquæris? Deus ipſe Opt. Max. qui & hanc illi celſiſſimam dignitatis, atq; amplitudinis ſedem dedit, & nobis hæc otia fecit. Et ille quidem Rex noſter præterquam quòd egregijs ſuis virtutibus & tota anteacta vita, ſumma de ſe omnia ſperare iubet, idipſum etiam ſuis ad Montis Belligardi Comitem literis, atque grauiſſimo illo iureiurando apud Galliæ Principes, Proceres, mil. Trib. & nobiliſſimos aliquot viros habito, idipſum apertè confirmat: quo nimirum omnia veri Principis, & optimi Regis munia ſe preſtaturum, & eos, qui ſe nefario defuncti Regis parricidio impiè obſtrinxerũt, grauiſſimè vlturum pollicetur. Illi verò noſtri Principes, Optimates: clariſſimi viri, Duces & reliqui omnes Henricum illum quartum, legitimum ſuum Regem vno animo atque vna voce agnoſcunt, fauſtis acclamationibus eum ſalutant, complectuntur, comprobant: illi bene ominantur, læta & proſpera omnia precantur, & optant, Regni gubernacula tradunt: quinetiam illi pia conſpiratione ſummoque conſenſu aſſentiuntur ac ſpondent, præter cultum & obſeruan-

tiam

tiam ipſi debitam, ſe ad Regiæ cædis vltionem, atque eorum omnium, qui de regno occupando, & bonorum omnium exitio cogitant, atq; ad id iniquiſſimis, & ſceleratiſſimis artibus graſſãtur, perniciem, omnes ſuas facultates, vitamq; adeò ipſam profuſuros. Quod quidem Generoſum, & verè Francicum Conſilium, quia viſum etiam eſt dignum, quod Principibus populisque externis aperiretur, Latinè quoque vnà cum Henrici tertij, & quarti ad Mõtis Belligardi Comitem literis, conuerti. Et quoniam hanc Regis noſtri, Principum, Procerum, Nobilium, Regijque exercitus conſpirationem, non paucæ cis Ligerim vrbes imitatæ ſunt: ſed præcipuè clariſſima Lingonarum noſtrarum ciuitas, cùm ab huius poſtremi belli initio, tum ab Henrici tertij obitu maximè, quanquam à principibus ſummisq; viris ad defectionem, & ad iſtam coniurationis ſocietatem ſollicitata, in officio cõſtantiſſimè permanſit, huius Regis noſtri maieſtatem agnoſcens, defuncti etiam vltionem ſe pro virili parte perſequuturam pollicens: vt ſuis ad Ducem Lotharingum literis, quibus piè admodùm & fortiter

illum

illum ad vindicandam Regis mortem hortantur (qua de re ille nullum quidem verbum in ſuis ad eos literis, vt debuit, fecerat) &, ſuo etiam illo ſcripto confirmat: Ego tam admirabile raræ fidei monimentum latinè quoque â me verſum ſuperioribus ſcriptis adiunxi, vt hac tantula opera patriæ meæ de ſua illa adeo inſigni & poſteritati meritiſſimò prodenda fide atque conſtantia nonnihil gratuler, & cæteras vrbes toto pectore, adhortór, vt memorabile fideliſſimæ illius ciuitatis exemplum ſibi ad imitandum proponant. Quod quidem ſi fieret, proculdubio coniuratorum noſtrorum & animi cōciderent, vireſq; valde multùm eneruarentur, & ciuium animis compoſitis, rebuſque, & vrbibus maieſtatis Regiæ ditioni & imperio ſubiectis, Gallia noſtra à tot ac tantis, quibus tamque diu, tamq; miſerè diuexata eſt, malis áliquantum recreata, paulatim priſtinæ ſuæ dignitati, ac fælicitati reſtitueretur, & in dies, magisque ac magis floreret. Agite igitur & ciues, & ciuitates, & vrbes & vici deniq; omnes, vos antiquæ fidei virtutiſque memores, atq; tot cladibus datis & acceptis pruden-

tiores

tiores effecti, iam tandem expergiſcimini, ac tam diris factionibus, perniciosiſque factiosis vale dicto, ad veſtrum officium nimium diu interruptum vos ipſi reuocate. Et vos meæ Lingoniæ, quarum egregium facinus immortalis gloria manet, ſatisque & ſæpè & dignè prædicare non poſſum, in fide & officio perſtate, & quæ magno animo pollicitæ eſtis, liberaliter præſtate: illudq; habetote, vos, præter laudem, quam vos hinc maximam & certiſſimam conſequemini, ampliſſimis quoq; præmijs & honoribus à magnificentiſſimo & honorificentiſſimo Rege affectum iri. Sed patriæ ſtudium & amor, paulò me longiùs à propoſito deflexit: vbi ſi qua paulò liberiùs dicta cuiquam videbuntur, ea velim pro ſuo candore & pietate, ſi modò eſt pius & candidus, tum rei indignitati, tum iuſto meo dolori, & in patriam Regemq; meum pietati condonet. Tu verò, lector, cui hæc libenter exarauimus & dicauimus, hunc qualemcunq; conatum boni conſules. Nec verò mea, qui ab interpretis officio & munere ſuis numeris & partibus expleto, longiſſimè abſum, verba numerabis, verborumue

rumue ſtructuram accuratiùs excuties, ſed rem præcipue ipſam æſtimabis, momentoq; ſuo ponderabis: Atq; Regis mentem, fidem, pietatemque verè Chriſtianam, Gallicam & Regiam, illius profeſſioni, generi & maieſtati conuenientiſſimam, quę in his ſcriptis maniſeſtè elucent, & ex tota illius vita verè effloreſcunt, admirabere ac prædicabis: necnon à Deo Regum Regnorumque propugnatore ac patrono, tu mecum ex animo petes, vt Regis tam pij generoſique conſilia & actiones omnes ad ſui nominis gloriam, ad Eccleſiæ inſtaurationem, ad Galliæ etiam noſtræ tranquillitatem, ſalutem & amplitudinem diutiſſimè feliciſſimeque conſęruet. Sedani è Muſæo noſtro, 4. Die Septembr. 1589. Vale.

REX

REX NAVARRAEVS AD TRES GALLICI REGNI ordines super ijs quæ à 23. Decemb. 1588. in Gallia contigerunt.

CVm ipse mecum recolo (viri clarissimi) me ab hinc quadriennium earum, quæ in Gallijs excitatæ sunt, tragædiarum argumentum fuisse, finitimorum fabulam, armorum ciuilium hypothesin, ac materiam, atque ab hisce armis enatam malorum iliadem: Cùm rerum futurarum specie, & spe, tam à Gallorum cogitatione, quàm à mea ipsius voluntate aliena, sexcentas huic regno calamitates ipsa re illatas esse: atque ex vana quadam animisque ficta, meæ in Regalem dignitatem successionis opinione, iniquissimam regni vsurpationem designatam machinatamque esse considero: Cum his oculis, quos mihi Deus precipuè dedit, vt in patriç salute semper defixos, ad ipsius etiam mala semper intentos habeam, eam furoris ciuilis incendio conflagrantem, pręcipuas illius columnas iam exustas, & clarissimas quasque ciuitates cruore & flam-

ma funditus deletas, ſummo meo dolore videre cogor: & quod multò eſt grauius ad extinguendum & opprimendum illius incendium, aquam non modò non adferre, aut opis, ad id quod integrum ac ſaluum ſupereſt, conſeruandum aliquid dare, (vt vehementer cupio, idque vtinam præſtitiſſem, vel ea lege, ne ampliùs inter viuos numerarer) ſed me adeò cogi etiam inuitiſſimum faces illi ardentes inferre: atque meam defenſionem reddere tam propemodum grauem, quàm importuna & infeſta eſt eorum violentia, qui meam dignitatem vitamq; ipſam immeritiſſimò petunt: Cùm, inquam, hæc omnia recordor, & mecum ipſe reputo, aut ego ſum ſtupidorum omnium, qui vnquam fuerunt, longè ſtupidiſſimus, aut in publicæ ſortis conſideratione, millies animus meus die patiatur neceſſe eſt eas pœnas, angores, tormenta, quæ, mille pœnæ, mille angores, mille tormenta æquare vix poſſint: præſertim, cum harum omnium calamitatum me à ſceleratis prætextum, ab imperitis cauſam & appellari & exiſtimari intelligo: quinetiam earum occaſionem ipſe quodammodo me eſſe agnoſco &

prædico: quanquam tamen tanti mali inuidiam falſo mihi impoſitam verè deprecari & auertere à me poſſim. Sed ad me quòd attinet, quandoquidem ea mea ſors fuit, vt tam miſero tamq; publicæ rei funeſto tempore naſcerer, cùm ipſe mihi ſubijcio, quid Deus Opt. Max. in nouiſſimi huius belli principio, medio ac progreſſu mea cauſa præſtiterit, quot & quanta huius, (quam tuendam ſuſcepi) cauſæ æquitatis atq; innocentiæ meæ teſtimonia dederit, idque non in Gallia tantùm ſed apud exteras etiam nationes: non in amicorum ſolum animis, ſed in ore quoq; ac ſermone eorum, qui amici non erant: non in vulgi duntaxat opinione, ſed (huius rei teſtis eſt ipſe Deus) in intimo animi Regis ipſius ſenſu, quā multis item modis, & indicijs ille ipſe Deus comprobarit ſe non mediocrem mei curam habere, quem, videlicet, ſaluum & incolumem aduerſus eas vires, quibus nullis meis viribus reſiſti poſſe videretur, mirandum ſanè in modum cōſeruarit: equidem ſi alius eſſem atque ego ſum, tam mihi iucunda eſſet priuatæ meæ conditionis gratulatio, quàm publicæ recordatio iniucunda eſt. Ego

verò

verò, lectiſſimi viri, facere id nullo
modo poſſum: nunquam mihi prior po-
tiorque erit mea, quàm patriæ ratio:
illius vtilitas quàm mea mihi perpetuò
antiquior erit & carior: ſemperque id
efficiam, vt mea ipſius mala, damna &
vexationes patriæ damnis ac calamita-
tibus opponantur ac præcurrant. At
illud ſaltem ſolatium quo in maximo
meo dolore vtor, non poſſum tacitus
omnino præterire, quòd oblata qua-
cunque occaſione, tum actionibus, tum
verbis, tum ſcriptis meis omnibus te-
ſtificatus ſim, quanta me moleſtia & ſo-
licitudine afficerent, illæ procellæ ac
tempeſtates, quibus nos velis remiſq;
ipſos obiectum proculdubio ibamus,
niſi præteritorum naufragiorum exẽ-
plis cautiores in poſterum fieremus. Id
veſtrum neminem fugit, ipſeque mihi
perſuadeo nullum iam exiſtere, ita im-
potentem & ſuis indulgentem affecti-
bus, qui hoc mihi teſtimonium dene-
get. Quod quidem tanto me opere con-
ſolatur, vt nihil omnino aliud (exce-
pta huius cauſæ bonitate & æquitate)
Dei in me iram magis ſedaſſe, nihil e-
um quicquam magis quàm vnum illud
ad me tutandum ſeruandumque com-

mouisse credam. Quod si illi ipsi Deo visum fuisset, & Regis & vestrum etiam animum sic afficere, vt in ordinum conuentus, qui á delegatis quibusdam viris coram ipsius maiestate Blesis celebrati sunt, arcessitus fuissem (id quod meo sane iudicio factum òportuit) mihique bona Regis & vestra omnium venia licuisset, quæ de Rep. sentirem coram disputare: Ego verò subiecissem vobis & confirmassem non habere me solum aut cogitationem in animo, aut verba in ore, sed efficiendi quoque facultatem in manibus: nihilque me vobis proponere vanum & futile, &, de quo variè multumq; disputandum esset: nullam item me animi propositionem in medium proferre certis circumscriptam conditionibus: nulla denique speciosa & magnifica verba effundere, quibus ipse interim teneri nolim. Contrà, præclara & vtilissima consilia meditari, quibus meum, summum ad Regis splendorem atque regni amplitudinem animum studiumq; sim, quantum quidem in me erit, testaturus, etiam cum certissimo meæ dignitatis & vitæ quoque ipsius dispendio. Cùm verò eodem mecum animo affe-


ctos

ctos esse omnes intellexero, nihil erit tum mecum articulatè paciscendum, nihil accuratius cauendum & sanciendum: optimæ mentis conscientia mihi hoc satis confirmante, nihil aliud ad hos tumultus componẽdos, durum me ac difficilẽ reddidisse, præter vnius cõscientiæ, meęque dignitatis rationem. Verumenimuerò quando id prætermissum fuit (& aliquando fortasse hoc Gallia nostra in suis erratis ac delictis annumerabit, cum ad grauissimũ morbum depellendum nullũs præstantior medicus adhiberi posit, quam qui ægrotum animo carum habeat) hoc ego saltem vobis iam tandem declaratum compertumque volo, quod & mei officij esse puto, & ad Dei cultum, ad Regis, summi mei Principis obseruantiam, nec non ad totius regni emolumẽtum maxime pertinere arbitror: quo omnes sceptro regio subiecti planè id intelligant. Atque (vt hîc fidem meam liberasse videar) consilium meum & ex consilio meam simul innocentiam perspectam habeant. Ego rerum mearum statum vobis primùm ante oculos constituam, neq; id tamen vt de me aliquid glorier (quoties enim id fe-

cero, toties me Deus ipſe deprimet) neq; vt vobis videar è ſuperiore, quod aiunt, loco verba facere tanquam rerum omnium potitus (ille ipſe Deus nouit, in quo totus acquieſcam, in quo præcipuè ſpem omnem meam reponam, quo etiam nitar & omnino confidam) ſed potiùs vt duo vobis proponam: primùm luctuoſam horum miſerorum bellorum ſortem: quantò ſuperior fuerit hoſtium aduerſum me conditio: quot quantiſq; copijs in me inuaſerint, quid tandem profecerint: vt vos affectibus vacui ſaltem iudicetis, Deum vnum aduerſus tot, tantasque vires ſartum me tectumque non conſeruaſſe ſine miraculo quodam: Hoc autem miraculum minimè futurum fuiſſet, niſi à meis partibus ſtarent innocentia, cauſſæ æquitas atque iuſtitia.

Deinde vt vosmetipſi ſtatuatis, vtrùm quæ dico timore perculſus dicam, an cauſſa aliqua ſit, quare orationis blanditijs & inſinuatione quadam vti cogar, acerbioriſ ſcilicet quam ſum antea paſſus pœnæ metu: an ſola exitij mei cogitatio animum meum

meum inflectat, an contrà id efficiat verus calamitatum patriæ sensus: pacis studium & Galliæ dignitas ac salus. Thrasonem certè quidem alterum præter decorum agere viderer, si quales exercitus quatuor abhinc annis aduersus me comparati sint, vobis ordine ac singillatim recenserem: Existimaretis profectò mea me præclara, facinora ostentare velle. Ne id verò existimate. Non est hoc mihi propositum. Atque vtinam Dux nunquam fuissem, quando tyrocinium meum tanto Reipublicæ detrimento & calamitate constare debuit. Breuius autem fecero, & ad rem ipsam accommodatius, si à vobis quæram quos iam Gallia ductores ex ijs qui aduersus me missi sunt, reliquos & superstites habeat. Intra quatuor annos ego decem exercitus, Regis item legatos decem vidi, eosque Regni in toto Christiano orbe florentissimi, ac potentissimi viribus & opibus instructos. Si hoc à me gloriolæ cuiusdam captandæ gratia dici existimatis, erratis. Nam vt istam opinionem ex animis vestris euellam, ex decem illis conscriptis exercitibus



cum vno tantùm verè mihi res fuit, quem collatis signis aggressus profligaui. Et in eo quidem nominatim Deus mea opera ad ipsius perniciem vti voluit. At in reliquis omnibus fundēdis, nihil ferè laboraui, nihil egi; Illi ipsi per se ac sua mole conciderunt prius atq; euanuerunt, quàm in meum conspectum venerint, eodemque pæne tempore illos tum collectos, tum dissipatos intellexi. Angelus ipse, virga illa diuina lædendi mei potestatem illis ademit. Non sum is, cuius virtuti ac meritis rei tantæ gloria accepta ferenda sit, cùm nihil operæ viriumq; mearum ad eam contulerim. At enim quid tandem ab illis re ipsa effectum est? Id verò quæritote de vestris illis delegatis comitialibus, earum prouinciarum incolis, in quibus pij viri religionis ergò profugi, locum perfugij aliquem habent. Considerate, amabo, quo in statu ante hæc bella illi essent, & in quo iam sint: ac facilè inde colligetis, quidnam profuerit à quatuor hisce annis decies centies mille hominū in hoc ciuili furore desideratorū horribilis strages: aurifodina in tam immanes & prodigiosos bellorū sumptus exhau-

exhauſta: Regni totius Gallici labes & ruina: cui pænè omnes faciliùs aſſenſi ſunt, quàm ſi de ipſorum Ottomanorum profligatione, & clade, aut de adiungendis huic regno omnibus Chriſtiani orbis regnis ageretur. His diligenter ponderatis, fieri aliter non poteſt, quin animis vehementer afficiamini, atque animaduertatis hoc eſſe opus cauſæ extraordinariæ planè extraordinarium. Atque hîc vobis profitebor quemadmodum harum rerum cogitatio veſtros oculos atque manus tantiſper continere debet, vt ſic apud vos ſtatuatis, ſi cum Deo pugnetis, vos fruſtra pugnare: Sic mihi quoque ipſi manus ad Deum ſupplices tendendas eſſe, vt caueam diligẽter ne hiſce proſperitatibus rebuſque ſecundis turgeſcam & efferar, ſed earum cauſam ad illum potiùs vnum referam, perſuaſum hoc penitus habens, ſi aliter facerem, Deum oculos ſuos aliò conuerſurum, & per duos menſes plus acceſſionis & emolumenti hoſtibus meis aduerſus me daturum, quàm beneficij à quatuor annis & incrementi mihi aduerſus hoſtes meos dederit. Ego verò illius benignitate confiſus, id me nunquam ad-

miſſurum ſpero: & idcircò cupio vt hæc mihi ſcripta in toto terrarum orbe perſonent ac denuncient, me ad pacem tranquillitatemque huius Regni, meamque ipſius, à Rege Principe meo petendam, æquè nunc atque antea vnquam affectum paratumque eſſe. Equidem horum bellorum initiò, rationem meæ conſcientiæ, & dignitatis habui, eamque vt integram ac inuiolatam mihi per Regem ſeruare liceret, illi perquàm ſummiſſè ſemper totoque pectore ſupplicaui. Bella autem vt nihil mihi de ea voluntate detraxerunt, ſic nihil etiam addiderunt, quo fretus me difficilem & implacabilem reddam: Id ergo ſuppliciter & demiſſè cū obteſtor atq; obſecro. Quòd autem, viri egregij, ad vos attinet, exiſtimo certè ſi eum ametis, ſi dignitatē illius & amplitudinē, regniq; toti' ſtatum curæ cōmendationiq; habetis, ſi illius calamitates noſtis, earūq; remedia: debuiſſe iis qui veſtro nomine comitiis illis interfuerunt, præcipere, vt ſuas propoſitiones ac concluſiones, & hinc inirēt, & hîc finirent: Illud adhuc ipſum vos ſummopere rogo & obteſtor. Mihi quidem dubiū non eſt, quin Catholicum hoc axioma in ſuis illis

com-

cõmentariis inseruerint, in vno regno vni tanti Religioni locũ esse, atq; Regni fundamentũ pietatẽ esse, quæ ibi esse non possit, vbi Deus vario ritu & proinde perperam colatur. Id vobis assentior: ita planè se res habet & maximo meo dolore. Video equidem permultos qui ea de re vno ore cõquerantur: at qui remedium illi adhibere curent, perpaucos video. Ego aũt æquissimas sẽper conditiones proposui atq; etiamnũ propono. Vsitatas ac tritas in rebus eiusmodi vias ꝑsequamur: si quæ sunt extraordinariæ, eæ verò indagentur. Et ego & oẽs qui puriorẽ mecum Religionẽ profitentur, Concilij liberi sententiæ ac decretis semper subscribemus. Ea vera via est eaq; sola, quã oĩ memoria Maiores nostri eius rei tritã reliq̃runt. Illius oĩno decretis & stabimus & cademus. At in aĩmum suũ inducere eam cõsensionẽ à nobis extorqueri armis posse, id sanè (ita me Deus amet) fieri nõ posse existimo. Et quidẽ euentus ipse, quàm verè hoc dicã, satis testatur ac comprobat. Quamuis conscientiæ meæ rationem nullam habuissem, famę certè ac dignitatis, vt ita dicã, cõsideratio inde me deterruisset.

An-

Annō eſt hoc planè inauditum, cædem vlli naturâ Turcæ aut Pagano intentatam vnquam fuiſſe, intentatam, inquam, Religionis nomine, priuſquam tentatum fuerit, an is ad verum Dei cultum conuerti poſſit? Et tamen arbitror, inimicorum meorum infeſtiſſimo cuique non videri me à Dei metu, cognitione, cultuque alieniorem eſſe, quàm Turcam. Nihilominùs tamen ſeueriùs multò & crudeliùs mecum, quàm cum Barbaro illo agi ſolet. Ecquid, rogo, de me ſentirent ac prædicarent ij qui Religioni Catholicæ maximè omnium adſtricti ſunt, ſi vita à me vno modo rituque ad trigeſimum vſque annum acta viderent, me ſubitò à mea illa Religione deficere, vnius ſcilicet Regni expectatione? Quid dicerent ij, qui me fortem & conſtantem hactenus viderunt ac ſenſerunt, ſi metu fractus & debilitatus turpiter eiurarem eam colendi Dei rationem, quā ab incunabulis ipſis ſum amplexatus? Hęc ſunt argumenta, quæ ad honorem externum ac popularem pertinent. At ſi rem ipſam benè penitus inſpiciamus, quæ conſcientia hæc erit, quæ pietas & fides, cum qui ad certam Religio-

ligionis profeſſionem ab ineunte ętate educatus, inſtitutus atq; euectus fuerit, cauſa & indicta & inaudita derepente ad contrariam partem deſciſcere? Nunquam verò clariſſimi viri, nunquam certè Rex Nauarræus eò adduci poterit, etiamſi triginta Diademata premij loco illi tum certatim oſtententur, tum certò offerantur: nedum vnius tantùm ſpe id cogitet in animoque habeat. At facile vt inſtituar. Non ſum pertinax. Erudiendi viam capeſſite: incredibiliter promouebitis. Nam ſi præter eam cui ſum addictus, veritatis viam, aliam mihi monſtraueritis, eam inſiſtam. Faciam & id ampliùs, quòd ex tam multis mearum partium hominibus, ne vnũ quidem, opinor, relinquam, quin me ducem lubens ſequatur. Præclarus certe fructus à vobis ille erit & inſignis, in mea vnius ſalute tot hominum myriadas Deo lucrifacere & ad Chriſti imperium adiũgere. At nudis verbis velle nobis ſatisfacere & nullis adductis rationibus vobis perſuadere nos ad vnum copiarum aſpectum percelli debere, an id ſit rationi conſentaneum, vos, ò viri Egregij, ipſi videbitis. Sed

hæc

hæc missa iam faciamus. Si meæ duntaxat saluti consultum vultis, vobis gratiam habeo : si verò Religionis meæ rationem mutari, nullam aliam ob causam desideratis, nisi quod metuitis ne aliquando vos ad idem vitæ genus inuitos compellam, erratis. Meæ actiones, vestræ isti suspicioni repugnant. Viuendi genus quo & cum amicis & cum inimicis tùm domi, tùm militię vtor, satis multa mei animi & ingenij documenta præbet: vrbes quas teneo, & quas non ita pridem occupaui, eius rei fidem vobis facient. Non est sanè verisimile paruam hominum meæ Religionis manum posse infinitam Catholicorum multitudinem ad id amplectendum cogere, ad quod infinita hæc multitudo paruam illam manum cogere non potuerit. Quòd si hanc tam graue causam tantillis instructus copiis tamdiu sustinui ac propugnaui: quid igitur ab iis expectandum esset, qui tot tantisque opibus ac viribus armati se potentissimos meis conatibus adeò infirmis opponerent? Nihil profectò nec iudicij nec prudentiæ in hac rei gerendæ ratione inesse videretur. At id iam non agitur. Non sum enim

eò

eo loco, vt de vobis vel benè vel malè
mereri, Deo ita volente, possim. Illius
ipsius benignitate fretus, id nec ego
vnquam tentabo, nec vos vnquam ex-
periemini. Nempe mihi seriò de morte
cogitandū erit, cùm Rex ille noster æ-
tate confectus diē extremū obibit. De
rerū igitur futurarū, quæ à nobis lōgè
remotæ sunt, euentu, ne adeò labore-
mus, vt pręsentes, quæ magis vrgent &
maximè nostra intersunt, negligamus.
Deus eorum oīum, qui in Gallico statu
res nouas moliri poterant, consilia pe-
nitus aperuit: mea quoq; ille ipse oībus
patefecit & illustrauit: Atque ita planè
vt nulli vestrū, totius etiā Galliæ nulli
ea lateant, & obscura sint. Annō mise-
rū & hoc dolēdum est, neminē esse cu-
iuscunq; vel sortis vel ætatis hominē,
qui tantū malū nō videat, qui arma hęc
nòn detestetur, clamoreq́; ac conuitiis
ꝑsequatur, qui ea nō appellitet febrim
continuam, ac publico statui funestam:
Nullū tamē hactenꝰ extitisse qui vel hi-
scere voluerit ad remedij aliqd huic tā
graui malo adferendū! Nullū in toto il-
lò Blesensi cœtu tantū animi habuisse,
vt sit ausus sacrū illud Pacis nomē pro-
ferre: Nomē, inquā, Pacis sacrosanctū
cuius

cuius effectu atq; obseruatione huius Regni amplitudo & salus continetur. Hoc ergo (viri clarissimi) habetote admirabilem hanc & fatalē vęcordiam certissimum esse omnium, quæ à Deo dantur, huius regni occasus atque interitus augurium. Totus hic status grauissimo iampridem morbo afflictatur: Id nullus non videt: ex omnibus signis, tanti mali causa, & fons iudicatur bellum ciuile: Morbus profectò pænè insanabilis, ex quo vix vnquam vlla Respub. conualescere omninò & sanari potuit: aut si conualuit, si hæc apoplexia illam planè non oppresit, afflixit, perdidit: At in Paralysim certè desiit, cum dimidij corporis pernicie. Ecquod autem remedium? Nullum sanè aliud, nisi pax, quę in medio hoc regno politiam constituit, quę politiæ beneficio, vires illi naturales restituit, quæ eiusdem politiæ opera & vi, contumaces ac prauos humores expellit, corruptos purgat, eosq; succo, & sanguine incorrupto, nimirum rectis cogitationibus, consiliisq; ac studiis saluberrimis replet: quæ denique vitam illius fouet. Illa igitur pax, pax, inquam, illa à Deo Opt. Max. summo

studio

ſtudio petenda eſt, quippe vnicum tam afflicti & deplorati ſtatus remedium, & ſola illius certaque ſanatio. Qui aliud remedium quærit & adhibere cogitat, non remedium quærit, ſed venenum. Quamobrem vos omnes hoc ſcripto Catholicos, & oro, & obteſtor, ſiue eos qui in debito Regi officio, ac fide perſtiterunt, Siue eos qui ab ea defecerunt, vos omnes ego appello vt Francus Francos. Ego vos imploro atq; adhortor, vt huius ſtatus miſereamini & veſtri etiam ipſorum, qui cuniculis illum & machinis ſuffodientes; nulla vnquam arte effugietis, quin eius ruina obruamini. De me autem, etiam ſi vi me cogatis ea videre, pati & facere, quæ poſitis armis nec videre, nec pati, nec facere poſſim; quanquam mihi mors ipſa millies oppetenda ſit. Vos tamen obteſtor iterum ac deprecor; vt iam tandem exuatis miſerum iſtud ac mortiferum ſtudium conſiliumque belli ac violentiæ, quæ clariſſimum hoc & potentiſſimum regnum miſerrime diſcerpunt ac dilacerant, quæ noſtrum alios quidem inuitos ac repugnantes, alios autem pernimium voluntarios à noſtro in Regem officio diſtrahunt,

ſtrahunt, quæ nos mutuis ciuium vulneribus ac cædibus cruentant, quæ nos iam toties externis deridēdos præbuerunt, & tandem diripiendos atque mancipandos etiam præbebunt: Vos, inquam, moneo & rogo, vt omnes acerbitates, ſimultates, atque odia deponatis. Pacis verò, conciliationis & conſociationis, obedientiæ, ordinis ac concordiæ his bellis interruptæ, ſtudia conſiliaq; repetatis, quibus minimæ quæque ciuitates maxima tandem imperia euadunt: quibus etiam ipſis Francicum hoc Regnum ne longè abeamus, tamdiu ſtetit ac floruit, de Chriſtianorum imperiis longè primum ac potentiſſimum. Cæterum, quanquam ego ſexcentas de tota Guiſiorum gente conquerendi occaſiones priuatim habeam, Guiſiorum, inquam, mihi propinquorum, & ita propinquorum ſanè, vt excepto generis Borbonij, vnde ſum oriundus, cognomine, nullus vſquam propinquiores habeam: quanquam etiam Gallia tota in vniuerſum, plures quam ego grauioreſque de iis ipſis conquerendi occaſiones habeat: DEVM tamen ipſum teſtor, quantum animo ceperim

perim dolorem, cum illos vidi eam fuiſſe ingreſſos viam, vnde animus mihi certò præſagiit, cum aliqua ſui nominis laude & glorioſo fæliciq́ue euentu nunquam egreſſuros. Ille ipſe DEVS mihi ſit teſtis, cùm eos Regiæ Maieſtatis miniſterio, vtiles eſſe atque opportunos noſſem, (Addam etiam meo ipſius, cum non mediocri iis honori ſit cognatione me attingere, quippe quos & loco & dignitate antecellam) quantopere fuiſſem delectatus, ſi quas & multas & magnas corporis atque animi dotes à DEO & naturâ conſequuti ſunt, illas ad eorum, quibus officium & obſequium debent, amplitudinem contuliſſent: cùm eos aliorùm praua conſilia in contrariam partem impellant.

Et quidem cæteri omnes, præter me vnum, illorum calamitatem riderent, ſummaq́ue voluptate afficerentur, ſi Regis indignationem, edicta atque arma ad exitium eorum conuerti viderent; Ego verò id facere nequeo, nec etiam facio, niſi quòd ex duobus malis minus eligere cogar. Me igitur ipſe liberè primùm compellabo, deinde illos ipſos, vt nullā poſtea

excusationem adferre possimus: Neuter nostrum vllo successu animos tollat. Ad me quidem quòd attinet, etsi in hoc postremo bello plus beneficij, & auxilij, quàm in superioribus omnibus à Deo acceperim, cumque aliæ duæ factiones (quæ, malùm, ista est infelicitas, vt eas sic appellare oporteat?) plurimùm debilitatæ sint: mea verò confirmata & aucta etiam esse videatur. Scio tamen, cùm ab officio meo discedam, Deum non ampliùs præsentem ac propitium mihi futurum. Ab eo autem discedam, quando nulla graui iustaque de causa, sed vltrò, & pro animi tantùm libidine, meum illum Regem adoriar Regnique tranquillitatem perturbabo. Idē quoque de illis omnino sentiendum, quià quatuor hisce annis præteritis arma paci prætulerunt, qui primi quietum hoc regnum mouerunt, & tertiam istam factionem Francorum nostrorum, atque auorum quoque suorum fide tantoperè indignam excitarunt: cum Deus ex iis quæ nùper euenerunt, planè ostenderit, ea sibi minimè omnium grata esse, quæ illi moliti fuerunt, Cumque Regis animum

ad

ad consuetam illam, & multis testimoniis confirmatam clementiam commouerit, vt id suis quoque scriptis profitetur, conquiescant illi aliquando: satis superque malorum nos omnes, tum intulimus, tum pertulimus. Totùm quadriennium ebrij, insani, furiosi etiam fuimus: Anne hoc quidem satis est? Non satis pœnarum Deo adhuc dedimus, quotcunque, & quicunque etiam simus, vt ex nostro illo tam diuturno grauique veterno aliquando excitemur, ad saniorem mentem redeamus & nostras illas furias comprimamus? Adhæc si mihi hoc licet, vt ego quippe summissus ac fidelissimus Regis subditus meam hac de re tota, neq; opinor, ineptam, aut absurdam sententiam aperiam, proponamque iis quos Rex in consilium adhibet: Ecquis, rogo, vnquam audiuit imperium vllum diu stare posse, in cuius venis ac visceribus duæ diuersæ factiones hæreant, eæque armatæ? Quid igitur hoc Regno fiet, vbi tres, tanto animi ardore & pertinacia conflictantur? Quanam ratione Regi persuaderi possit, vt bellum ciuile suscipiat, & eodem tempore aduersum



duos? Nullum quidem certè exemplum, nulla historia, nulla etiam ratio vsquam extat, quæ inde felicem exitũ illi polliceatur. Pacem faciat necesse est, eamque vniuersam, vnà cum suis omnibus vtriusque, tum partis tum Religionis ciuibus; aut, eos saltem colligat, sibique reconciliet, qui à debito ipsi officio & cultu recesserint. Atque hîc, hîc quæso vnusquisque de mea mente atque animo iudicet. Sic ego scilicet iniuriam pro beneficio rependo, sic etiam Regẽ in ciues suos, qui ad præclaram istam conspirationem se applicarunt & adiunxerunt inflammare cogito. Quanquam tamen hoc (viri præstantissimi) si cogitarem, & Regi in summas angustias adducto omnia mea officia & obsequia præstarem (id quod sanè, si mihi imperauerit, faciam) nemini vestrũ dubium est, quin ego (quantum quidem de rebus humanis coniici sperarique potest) multa factiosorum istorum consilia conturbare atque inuertere, magna etiam ipsis negotia exhibere possim.

Nunc

Nunc omnes huiusce Regni ciues, qui nostrarum insaniarum & intemperiarum spectatores tantùm fuerunt, appello: Appello & nostram nobilitatẽ, totum Sacerdotalem ordinem, nostras vrbes, populum etiam nostrum: cum iis mihi iam sermo esto.

Considerent enim & cernant animo, quò præcipites feramur: quid Gallia nostra fiet: quænam futura sit huius Regni facies, si huic malo nullus modus statuatur: quo loco & numero erit Nobilitas, si Gallici Regni administratio mutetur, vt proculdubio mutabitur, (& certè iam mutari videtis) si vrbes aduersariorum metu cogantur maioribus intra mœnia præsidiis ac duplicatis viribus se firmare, nullius cuiusquam imperium pati, & ex vna Monarchia, plures Democratias, Heluetiorum more, & exemplo constituere.

Nemo ciuiũ, sanè quidẽ ita mihi persuadeo, eo animo est: Sed bellũ nec sine meo dolore maximo, eos ad id tandem impellet. Iam nunc mali huius initia nasci videmus, primo quidem aspectu suauia, & specie blanda, qua optimus

& fidelissimus quisque ciuis fascinari se, & peruerti facilè patietur. Quęnam conditio vrbes manet, cùm specioso quodam, sed vano libertatis nomine, veterem splendidissimi atq; amplissimi huius status disciplinam ordinemque subuerterint? Cùm vniuersam Nobilitatem sibi infestam, Plebem inuidam, simul & direptioni ac populationi auidissimè inhiantem, quippe in ipsarum scriniis atque officinis innumeras opes, immensos etiam thesauros animo fingẽtem habuerint? Quid agent præcipui & clarissimi quique viri, qui suas omnes dignitates & magistratus quos gerunt, siue in quæstorio ministerio, & in Ærario, Fiscoq; Regio, siue in Iure dicẽdo, aut in Politia Publicæq; rei administratione, aut in re militari ex Mõarchię statu obtinẽt, necnon potissimã domesticarũ facultatũ partẽ in pub. illis muneribus constituunt? At id omne ipsis periit Monarchia. Quis liberũ itẽ tutumq; illis commercium dabit? Quis eorum possessiones, periculo in agris liberabit? Quis Iustitiæ authoritatem conseruabit? Quænam erunt eorum decreta? Quis illorum exercitibus præficietur?

Quis,

Quis, vt ſemel dicam, ô cæci miſerique homines, in tanta rerum omnium perturbatione ordo futurus eſt? Hic furor, credo, vnum aut alterum etiam menſem vigere poterit: non aliter quàm dicitur febris ægrotum ad tempus aliquod fouere. At putare vllam ſocietatis cõitionem atq; imperij formam, iracundiæ & vindictæ fundamentis firmiſſimè inniti, diutiſſimeq; ſtare poſſe: id verò nullo prorſus pacto fieri poteſt, cùm nec viſum, nec lectum vſquam ſit, mutationem alicuius imperij factam vnquam fuiſſe, ſine vrbium quæ præcipuum ſunt illius firmamentum & robur, labe ac pernicie. Tu verò Popule, cùm Nobilitas tuæq; vrbes in contrarias partes diſtractæ erunt, quis tranquillitati atque otio relictus erit locus? Tu, inquam Popule, vberrimum Regni horreum, huiuſce ſtatus fœcundus ager; cuius labor, Principibus cibum, ſudor potum, artificia cultum, induſtria ômne deliciarum genus prolixè cumulatèque ſuppeditant, ad quem tandem confugies, cùm tua te nobilitas proteret & conculcabit, cùm tuæ vrbes immanem pecuniam à te exigent? ad Regemne, qui

nec his, nec illis pro ſuo iure imperabit? Illius iuſtitiæ Conſiliarij & Adminiſtri vbinam gentium tunc extabunt? Præſidium prouinciarum quæ tunc poteſtas? Vrbis præfectus quid iuris & autoritatis in nobilitatem habebit? Inter Nobilitatis Principes quid tunc ordinis? Miſeria, videlicet, confuſio, vitæ perturbatio, magna vbique calamitas. En bellorum noſtrorum fructus! Nullo autem obliuionis vitio Eccleſiaſticos prætereo, ſed de ijs nominatim verba facere nolo, veritus, ne meam autoritatem defugiant, infeſtiorem me ſibi aduerſarium arbitrati, quàm re vera ſim. Enimuerò, vt apertè dicam quòd res eſt, longè maiorem de eiuſmodi ordine, quam de duobus Franciæ reliquis conquerendi occaſionem habeo. Sed id parui refert, cùm in toto eorum grege multi ſint minimè mali. Quòd ad illorum verò profeſſionem & religionem attinet, equidem nonnullis in capitibus ſum illis contrarius, in nullo verò inimicus. At vna omnes mente, vnoque ore conſentimus, cum in alijs quibuſdam, tum in eo maximè, in quo de Eccleſiæ Gallicanæ priuilegijs ac tributorum immu-

nita-

nitatibus à Pontificũ vſurpatione vindicandis agitur: vtcunque ſe res habeat, quanquam omnes in eos inuehendi & inuadendi etiam cauſſæ mihi non deeſſent, eas tamen omnes communis concordiæ cauſa, & grauiſſima mei erga Regem publicamque vtilitatem officij conſideratione adductus, voluntaria quadam obliuione contererem. Interim quid illi cogitant aut ſperant? Bellumne facere, ſimulq; decimas ſoluere in ijs locis, in quibus plurimum poſſunt? Eſto, ita ſanè: At in ijs in quibus autoritate & potentia valeo omnia ferè ex ipſorum bonis vſurpabo, eiq; vſurpationi mederi nulla iam ratione poſſum, ſed temporis progreſſu, cùm omnia mutuis diſſenſionibus flagrabunt, qua ſe conditione fore putant? Animum, rogo, aduertant, quò euadant noſtræ vrbes, noſtri populi, noſtra nobilitas, & cum animis ſuis etiam atque etiam reputent. Illi maximè quibus pietas commendationi eſt (eſſe certè debet) an aliquid ſit in rebus humanis, pietati æquè contrarium atque vitia, morum deprauatio & immodica rerum omnium intemperantia: Ecquid verò ſit, quòd plura

gra-

grauioraque vitia maiorem deprauationem, atque intemperantiam efficiat, quàm effrenata bellorum omnium licentia? Hoc mihi præterea diligenter expendant ij, qui non alia via tantas opes, opibus tantis cumularunt atque adauxerunt, quam pace, quàm ordinis conseruatione, quàm obedientia priscis Regibus præstita, quàm Religione: quantò deteriori in posterum conditione futuri sint, bello, perturbatione ordinis, impietate & seditiosa ista contumacia, aut si ita mauis, cōtumaci ista & funesta seditione. Sed enim compellatis speciatim singulis hoc etiam generatim addam: Si Dei beneficio omnia Regis nostri consilia & actiones prosperè, vt spes est, procedant, isque omnes Regni factiosos ciues vincat & subigat, quanquam victor, miser tamen est, si ab ijs omnibus, quas commeruere, pœnas repetat! Quid enim! maximam vrbium partem, infinitum ciuium numerum pœna merita, & debita multari? Nimis certè miserum hoc, acerbum & calamitosum etiam nimis hoc fuerit. Calamitas est, furor est, quem Deus in hoc Regnum immittit, vt peccatis nostris plectamur,

mur, ſed hæc nobis obliuione delenda, hæc etiam condonanda ſunt, nec grauius ſtomachandum cum noſtris populis & vrbibus, quàm cum furioſo, dum obuium quělibet percutit, quàm cum inſano, dum nudo corpore vagatur & circumcurſat. Quòd ſi è contrario cōiurati iſti ſuas adeo vires confirmant, vt éas Regijs viribus obijciant & Regi ipſi obſiſtant (vt certè id facturi videntur, valdeque metuo ne illius patientia ſit præcipuum illorum robur, Deo fortaſſe volente ſeuerius in nos animaduertere, adeò vt valdè dubium quidem ſit ac incertum, quo tandem loco & ille ipſe & nos futuri ſimus.) Quid de Francis noſtris dicemus? Quæ enim hæc eſt ignominia noſtros Reges à nobis expulſos & fugatos eſſe? Macula certè, qua nunquam Maiores noſtri nomen ſuum contaminarunt. Et qua potiſſimum laude reliquos omnes totius Chriſtiani imperij clientes & ſubditos ſuperare longè videmur. Atenim, annon iniquiſſima eſt hæc mea ſors & infœlicitas maxima, qui otioſus hæc omnia ſpectare cogar? Ad arma ſum neceſſitate ſumma adactus: in quos ea iam conuertam? in Regemne?

Ad

At diuino instinctu afflatuque concitatus, meam ipse causam aduersus coniuratos suscepit. Cur eos in extremam desperationem adducam? Cur ego qui pacē palam prædico & hortor, Regem aduersus eos irritem, & mearum copiarum quæ illos tantopere angunt & sollicitos habent, cogitatione, illi voluntatem, his spē recōciliationis adimam? Et hoc est vnū quod me maxime angit. Nam si quietum & otiosum me spectatorem præbuero, illi qui iam non consilijs solùm & studijs, sed armis etiam & castris dissident, aut redibunt iterum in gratiam, in mei meorumque omnium, quoàd poterunt perniciem, vt bis iam terue euenisse memini, aut Regis vires ita debilitabunt, suas contrà ita confirmabunt, vt illo afflicto & iacente parum admodum roboris atque animi futurum sit, ad impediendum, quo minus & ipse affligar & totus iaceam. Sic autem (Egregij viri) vobiscum ago, quippe quos sciam, valdeque multum doleam; non eodem omnes animo studioque mecum affectos esse. Edicta à Rege Principe meo promulgata, cùm alia, tùm postrema satis palam faciunt, ex comitialibus

illis

illis delegatis, nonnullos, atque adeo pleroſque omnes, certis quibuſdam hominibus addictiores quàm Regi ipſi fuiſſe. Quòd ſi quid iudicij in vobis eſt, idem planè vobis quod mihi, perſuaſum erit, non me tantùm, ſed Regem etiam, deinde tertiam iſtam factionem, necnon vos ipſos, tum vniuerſos tum ſingulos in ſummo rerum diſcrimine verſari. Nẽpe nos in eadem omnes domo, eaque valde ruinoſa, ſumus. Nos eadem naui, quæ varijs agitata procellis à naufragio non longè abeſt, incluſi ſimul omnes, continemur: neque vllum reſtare tamen aliud remedium videtur niſi pax, qualetandemcunque aliud cõminiſcamur & exquiramus. Quæ quidem cùm ita ſint, ego tum melior tum præſtantior (id enim verè dicam) tum grauioribus quàm cæteri omnes iniurijs affectus, pacem nihilominus à Rege ſummo Principe, omnium nomine peto: qui alio quàm omnium nomine pacem vel petierit, vel fecerit, is profecto pacem non rectè nec petierit nec fecerit. Atque huius rei gratia profiteor me difficilem minus moroſumque fore, vel millies, quàm

fui

fui vnquam, si tamen vnquam fui. Ego posthac mea in Regem obedientia atq; obseruantia volo cæteris omnibus ad omnem officij & obsequij rationem exemplo esse. Cæterum ijs iam toties propositis à me atque expositis, quæ mei erant officij, & nostræ quoque omnium vtilitatis, hoc tandem edictum volo, illis primum qui Regis partes sequuntur, nisi huic sancto salutarique consilio assenserint (non de bello quidem cum factiosis, cum Lotharingis, cum Parisiensibus, Aurelianensibus aut Tolosatibus gerendo, sed cum ijs; qui paci & debitæ Regi obedientiæ omni studio conatuque intercesserint) omnium calamitatum, quæ Regi & Regno inferentur, culpam in eos solos conferendam: Me verò ab hac culpa, non solùm sed à mea etiã erga Regem fide liberum omnino esse, à cuius videlicet fama & capite omnem labem & periculum pro mea quidem parte iam depello, & in posterum etiam, velit nolit, depellere conabor. Quantùm autem ad eos attinet, qui istius coiurationis (quam specioso sacræ vnionis nomine tegunt ac velant) nomen adhuc causamque retinent: Ego illos vt Gal-

los

los Gallus ipse obtestor, atq; ijs etiam libenter imperarem: id enim pro meo iure posse videor apud eos, quibus honori est, mihi cognatione coniunctos esse, & cuius imperia exequi, ipsorum etiam Patres in magni beneficij & gratiæ loco, certè scio, posuissent. Quòd si tamen eo modo ijs non imperem, faciam saltem, post Regem, vt primus Princeps & primus Galliæ magistratus sibi caueant & consulant: detrimentis suis & cladibus iam acceptis contenti, quiescant: priuatas suas rationes publicis posthabeant: animi affectiones ac dolores, controuersias, vltiones atque cupiditates honorum, & ambitiones suas, Galliæ Parentis suæ vtilitati, officio Regi debito, & nostræ suæq; ipsorum tranquillitati condonent. Si secus fecerint, Deus, vt spero, Regis curam non ita omnem abijciet, quin suum illud tam præclarè cœptum opus in eo perficiat, illique hanc mentem inijciat, vt suos clientes & seruos, ad se breui arcessat & me inprimis qui nullum alium honorificentiorem titulum appeto. Atque ad eum hanc ob causam accedens, planè confido, satis me virium & iuris habiturum ad opem illi fe-

 ren-

rendam, vt factioſorum memoriam, è medio, & totam illorum factionem è Gallijs faciliùs feciliùſque delere poſſit. Poſtremò cùm in hac tam expreſſa & clara mei conſilij inſtitutique teſtificatione, quod mearum fuit partium, præſtiterim: ſi tum hos, tum illos animaduertero, vel ita languidos & inertes, vel tam malè erga Regem Regnumque animatos, vt eorum nemo commoueatur atque ad ſuum officium excitetur: Ego Deum actionum mearum, tum præteritarum teſtem & conſcium, tum futurarum adiutorem ac moderatorem appello: atque vt Regi prorſus addictus & deditus, animo verè Gallus & primi Franciæ Principis honore, quo ornatus ſum, dignus. Deum atq; homines obteſtor, quanquam omnes & omnia ad huius regni perniciem coniunctis animis & armis conſpirauerint, me tamen vnum, etiam cum certiſſimo vitæ ipſius, atque adeò decies mille, ſi tot mihi à Deo datæ eſſent, vitarum diſcrimine, tum perniciem illam à regno depellere, tum impiam illam conſpirationem reſtinguere conaturum. A q; omnes cuiuſcunque ordinis & conditionis homines qui quidem

quidem pio hoc patriæ liberãdæ ſer-uandæque deſiderio tenebuntur, huc inuito & appello, ſperans, ſi mea con-ſilia Deo iuuante ſucceſſerint, me quã-tum animi & fortitudinis ad rem ſuſci-piendam edidero, tantum me fidelita-tis, poſt rei euentum, habiturum: Cùm ſcilicet meam Regi obedientiam. Pa-triæ officium, mihi ipſi tranquillita-tem & lætitiam vnà cum bonorum o-mnium libertate reddidero. Cæterum tantiſper dū Dei beneficio Regi ſum-mo meo Principi licuerit Regni ſui ne-gotijs prouidere, atq; pacem, quæ tan-topere eſt neceſſaria, reſtituere: Ego qui hanc dignitatem ſum conſequutus vt primas ſub illius imperio teneam, profiteor ac prædico, ſi illi abſenti non poſſum tam egregiam operam nauare, vt eum toti ſuo Regno ac priſtinæ di-gnitati planè reſtituam, ſaltem me ali-qua ex parte effecturum in ijs locis in quibus autoritate & viribus plus va-leo, vt illius dignitas atq; autoritas a-gnoſcatur. Et quidem ea potiſſimum gratia omnes cuiuslibet ordinis, con-ditionis, & religionis, tum nobiles, tum oppidanos, eosque ſeu Eccleſiaſticos ſeu plebeios, qui in tam præclaro qui-

dem, necessarioq; facinore efficiendo, suam voluntatem & operam ad meam aggregare atq; accommodare volent, in meam fidem clientelamq; recipio: nequaquam passurus, illorum siue corporibus, siue fortunis, vllam omnino iniuriam vel minimam fieri, aliterue cum ijs agi, quàm in placidissima pace & ex Regni constitutionibus patrijsq; institutis agi consueuit. Quanquā autem ego præ cæteris omnibus cum acerbissimo animi sensu & dolore tantas in Religione cōtrouersias videam, ipseq; aliorum omnium pręcipuè vnus remedia exoptem, agnoscens tamē ea non ab armis & violentia, sed à Deo vno & expetenda & expectanda esse: apud eum palamq; testificor, & ad hanc testificationem confirmandam ac sanciendam ego meā fidem & dignitatem (quas diuina gratia integras hactenus & illibatas conseruaui) pro pignore vobis trado, quemadmodum non sum antea passus vllis me artibus aut viribus, ad aliam ab ea, quam huc sum vsq; amplexus Religionem adigi: sic etiam nec perpessurum nec permissurū vnquam vt Catholici præter volūtatem in Dei cultu quidquā admittere vel Religionem

nem ſuā minus liberè exercere cogantur. Hoc præterea edicò ac pro certo polliceor, nec conſenſurum, nec conceſſurum me in ijs vrbibus quæ conſiliorum & ſtudiorū ſocietatè coniunctę mecum fuerint atq; cōſenſerint, quæque regiæ ac meæ voluntati morigeras ſe præbuerint, vt quidquā prorſus immutetur, nec in politico ſtatu nec in Eccleſiaſtico ritu, niſi quaten⁹ priuata vniuſcuiuſq; libertas publicaq; trāquillitas & ſalus id requirere videbantur. Recipiens iterum in meam tutelam & præſidium, tum Catholicos ipſos, tum Catholicorum & Eccleſiaſticorum maximè facultates, quippe à multis annis edoctus, & quod maius eſt expertus, Populos opinionū varietatibus diſtractos in priſtinam concordiam, & ad eandem colendi Dei ſtabiliendæq; in vno imperio pietatis, rationem reducendi, viam hanc vnicam eſſe & veram, nempe lenitatem, pacem, optimaq; pietatis & iuſtitiæ exempla: non autem bellum, violentiam, perturbationem vitæ & rerum omnium confuſionem, vnde omnia vitiorum, flagitiorum & calamitatum genera conſequantur.

Caſtelleraldi quarto die Martij, 1589.

DECLARATIO REGIS NAVARRAEI, CVM LIGErim flumen traijceret, Regi operam ſtudiumque nauaturus.

HENRICVS Dei gratia Rex Nauarræ, ijs omnibus, qui hæc lecturi ſunt, ſalutem. Cum ſummo & ſingulari Dei Opt. Max. beneficio dignitatis hoc ſimus conſecuti, vt nati fuerimus primus Regij ſanguinis princeps, primuſque Franciæ patricius, quem natura ipſa ad Regem ſuum defendendum docet ac inſtruit: quem etiam & Lex & fides, religioque officij ad Regni huius ſtatum conſeruandum obſtringunt: cùmque ſit ipſo rerum euentu & experientia vnicuique planè perſpectum & exploratum, factioſos iſtos, quocunque tandem fidei & Religionis nomine facta ſua tegant, nihil aliud quàm Regis & caput & coronam ſpectare: nihil item aliud quàm huius imperij diſſipationem atque vſurpationem machinari, vnde non poteſt non conſequi rerum diuinarum atque humanarum confuſio, omnis ordinis, politiæ & iudiciorum euerſio extre-

extrema, & ſingulorum & vniuerſorum huius regni bonorum ciuium calamitas ac pernicies, quantam omnes animo proſpiciunt, & tacita pietate deplorant, atq; iam adeò plerique in ſuis bonis, vita, honoribus ac libertatibus reipſa ſentiunt.

Nos idcircò à Deo, natura & Lege ad rem tantopere neceſſariam inuitati ac perpulſi omnino decreuimus, vitam, opes, & facultates omnes adhibere, ad autoritatis Regiæ reſtitutionem ad huius Regni inſtaurationem, ad bobonorum illius incolarum ac ciuium (quantum quidem animo conniti, quantum labore contendere, quantum opinionibus & viribus noſtris conſequi poterimus) conſeruationem liberationemque aduerſus eos omnes, qui tam apertè Regis ipſius ſanguinem & vitam petiuerunt, qui de Regni vſurpatione cogitare conſpirareque auſi fuerunt, quique tot tamque verè miſeros & miſerandos populos, quos Deus ſacroſanctis huius imperij legibus, à tam multis ſeculis pro ſua benignitate coniunxerat & ſeruauerat, ad vniuerſam pæneque ineuitabilem perniciem & exitium adduxerunt.

Profitemur nos in hostium numero nec habere iam, nec habere in posterum velle, nisi eos tantùm vnos, qui suis conatibus & effectis ipsi sese Regni huius hostes palàm ostenderunt: qui quantum animis quidem & armis efficere potuerunt, Regis summi Magistratus à Deo constituti, & genti Gallicæ antea consecrati nomen extinxerunt atque delêrunt; qui Senatus Curiasque supremas exauctorarunt, omnique in dicendis sententijs, ac moderanda Reipublicæ libertate, dignitateque spoliarunt, eò furoris ac insaniæ abrepti, vt præcipuos & clarissimos ei⁹ ordinis viros crudelissimè trucidarint, quorum dignitatem & salutem siue ob amplissima, quibus perfuncti erant, munera, siue ob maxima, quibus Remp. affecerant merita, ne ipsi quidem latrones, Barbari & immanissimi quique humani generis hostes appetere voluissent: quique huius regni sigilla, sancta illa & augusta iurisdictionis summæ instrumenta perfregerunt ac consciderunt, tanquam iustitiam ipsam, quantum quidem in se est, violantes, & ex re sacratissima profanam facientes: qui denique omnia ita per-

permiſcuerunt ac perturbarunt, vt in his omnibus locis in quibus dominantur, rerumque ex animi ſententia potiuntur, nihil aliud vigere, & locum habere videatur, niſi direptio, cædes, furor, inſolentia, populorum vaſtitas, vrbium cadauera, luctus & lamentatio, in omnibus familiis incendium, & exitialis omnibus in rebus labes & horror.

Iſtis autem, iuſta hæc arma iuſtè opponimus: Illis ipſis bellum infeſtum indicimus, & aduerſus eos, inuitamus & obteſtamur veros omnes Francos, Regi fideles, patriæ ſuæ amantes, & optimarum legum ſtudioſos, vt ſuis tum votis, tum armis prędto nobis ſint. Qui planè perſuaſum certumq; habemus, Deum nobis propitium fore, atque pro ſua bonitate ſumma, vt nos imperio & authoritate Regis inſtructi, merita eos debitaque pœna multemus, futurum: necnon tot mala, falſa bonorum ſpecie patrata, tot etiam ſacrilegia atque impietates, ſacro pietatis ac iuſtitiæ nomine admiſſas, non diutius inultas impunitaſquè laturum.

Veruntamen quanquam minimè dubitamus, quin multi ſe in horrenda

hæc flagitia induerint, alij furore præcipites acti, nonnulli iusto metu victi, plerique verò malis factiosorum artibus potiùs subornati, quàm propria malitia perfidiaque impulsi (hoc enim animũ nostrũ inducere non possumus, Francos nostros à perenni illa cõtesta taq; virtute maiorũ ita turpiter degenerasse, vt consultò & cogitatò fidem suo Principi debitã, hoc est, hæreditatẽ patrimoniumq; paternũ eiurare ac nefariè prodere velint.) Nos ideò pro eo, quo tenemur innocentes à nocentibus quoad fieri poterit secernendi & gladio iusto ac legitimo (quem Deus nobis tradidit ad officium Regi summo nostro Principi pręstandum, eiusq; subditos tutandum cum summa animi moderatione & æquitate) vtendi desiderio; testificamur ac denunciamus omnibus prouinciis, vrbibus, ciuitatibus eodem inter se iure & communitate sociatis, Ecclesiasticis, Nobilibus, Magistratibus, Ducibus, militaribus viris, ciuibus, oppidanis, aliisq; oĩbus, cuiuscunq; gradus, personæ & conditionis hominibus, vt à nefaria ista hostium qui hoc imperiũ ita diuexant & exagitant, societate se quamprimũ segre-

gregent, ſumma verò cōſenſione, piaq; conſpiratione Regiæ maieſtati cedant ipſiuſq; faſcibus ſe ſubmittant, & ſuæ fidelitatis, veriq; ac perpetui obſequij fidem illi certiſſimam faciant. Illos enim (ſi præſertim hac de re nos rectè & tempeſtiuè certiores fecerint) tum demū diligenter conſeruabimus pro ea quam à Rege conſecuti ſumus, & quam ad illius voluntatē ac nutum omnino conuertere & accōmodare ſtudemus, authoritate. Quòd ſi nihilominus hoc aſpernati, aut pertinaces aut negligentes ſe præbuerint, quæ ipſis mala & clades armorum violentiâ importabuntur earū oīum cauſam inuidiamq; à nobis deteſtamur ac deprecamur, eâque in ipſos meritiſſimò transferimus: digniſſimos certè, qui in iuſtiſſimę pœnæ ſocietatē cum illis veniant, quorū iniuſtitiam & violentiam, aut conſenſione aut diſſimulatione cōprobarunt & confirmarunt.

Proinde fidorū Regis ſubditorū & illius obſequio addictorū, necnon eorum qui ſe illi reconciliabunt, & qui ad eius authoritatem maieſtatemque defendendam, cum ipſo vti antea cōſpirabunt, omnium abſque vlla perſo-

narum

narum vel acceptione vel exceptione, opes, vitam, dignitatem, libertatē, religionem & liberum Dei cultū conseruare ſtatuimus: Ac ſpeciatim Eccleſiaſticorum, quorum eô maiorem curam ſuſcipere volumus, quò grauioribus, & frequentioribus belli iniuriis, vt plurimum expoſiti ſunt: Ita tamen, vt meminerint pacem & concordiam colere, & in ſuis ſe finibus modeſtè continere: cùm eorum contrà nonnulli & maximo ſanè cum ſuæ profeſſionis probro, harum ſe turbarum ac diſcordiarum faces & inſtrumenta præbuerint.

Eoque nominatim hoc interdicimus iis omnibus, qui in caſtris noſtris merent, & in perſequendis hoſtibus nobiſcum faciunt, nequid audeant & aggrediantur aduerſus fideles Regis ſubditos ac ſeruos, alioſque, qui, vt modò dictum eſt, cum eo in gratiam redierunt, ſuaque ſtudia & arma coniunxerunt, cuiuſcunque ſint ſortis & conditionis. Ac præcipuè aduerſus Eccleſiaſticos, & loca ſacris eorum faciendis deſtinata, in quibus vetamus vllam iis moram impedimentumue inferre. Qui ſecus fecerit, & hoc mandatum

datum temerè violauerit, is ſciat ſe grauiſſimas ſuæ temeritatis pœnas daturum, pro rei quidem natura & diſciplinæ militaris à nobis conſtitutæ ſeueritate. Sicuti quoque ſummo ſtudio præcipimus, & pro noſtro etiam iure imperamus noſtris Legatis, Gubernatoribus & aliis denique omnibus, qui alicui oneri atque officio præſunt, vt in ſua quiſq; Prouincia ac munere in eam rem, quam mandamus, diligentiſſimè incumbant, ea lege atq; omine, vt ductores & ordinum Præfecti, ſiquid ipſorum aut incuria, aut diſſimulantia perperam acciderit; culpam ipſi omnem præſtaturi ſint.

Et tamen nihilominus omnes fideles Regi ſummo noſtro Principi ſubditos ac ſeruos, quocunque loco & conditioni ſint, & qui (nuntio nefariæ iſti coniurationi remiſſo) Regis nunc partes ſequuntur, vt dictum eſt, commonefacimus, quò probi ab improbis faciliùs ſecernantur, & malis occurratur, quæ negotio longè minori tantùm cogitata præpediuntur, quam iam admiſſa reſarciuntur, vt ſe in fidem & clientelam noſtram maturè conferant, itemque noſtrorum Legatorum,

torum,

torum, Rectorum atque Magistratuũ, quorum authoritate & opera sibi cõsulatur, & ab omni damno atque periculo caueatur: acceptis libellis fidei pub. testibus, commeatibus, & aliis eiusmodi ad securitatem prçstandam necessariis diplomatibus. Ita tamen, vt Regis ac illius Legatorum, aut aliorum quorumlibet, qui Regis nomine cum imperio sunt, diplomata ab huius edicti die concessa, inuiolatè obseruentur ac præstentur: Pœna certissima & grauissima ex nostris decretis & constitutionibus in eos sancita, qui ea infregerint.

Hîc omnes huius Regni ordines rogamus vt sibi ante oculos ponant, quantò nunc deteriore conditione fuerint, & in posterũ magis magisque futuri sint, tum priuatim, tum publicè ex istarum turbarum ac confusionum diuturnitate. Ac primùm Ecclesiastici considerent in armis pietatem extingui funditusque deleri, Dei nomen ac numen horrendis blasphemiis pollui, Religionem omnem iacere: quòd vnusquisque in eam iam impietatis & iniustitiæ consuetudinem venerit, vt nihil vereatur sacrum fidei nomen ludibrio,

dibrio, & contemptui habere, cùm videt clariſſimos & ſummos quoſque viros inſignes illas ſuas, & omnium quæ vnquam aut fuerunt aut futuræ ſunt, maximè execrandas ac deteſtabiles infidelitates, fidei ſimulatione velare ſolere.

Nobiles etiã animaduertant, quàm graui caſu collapſus, quantoque opere debilitatus ſuus ordo fuerit, exiguo admodum temporis ſpatio: quum arma illorum fidei poteſtatique commiſſa, quippe aut hæreditaria nobilitatis inſignia, aut virtutis certè præmia, præ contemptione cõculcata, in luto quodammodo volutantur, atque viliſſimæ & inſanæ plebeculę traduntur, quæ ex tanta libertate in licentiam, ex licentia in effuſam in omni inſolentia ac petulantia (nulla prorſus, vt videre licet, nec meritorum nec perſonarum habita ratione) libidinem tandem euaſura eſt.

Tum iudiciorum præfecti, totoque Iuriſconſultorum, & magiſtratuum collegia diligenter expendant quot quantaque latrocinia per boni Publ.

ſpe-

ſpeciem & quaſi ianuam in hoc regnum irrepſerint adeoque irruperint: cùm in nobiliſſimam illam patriciorum Franciæ claſſem (in qua illuſtriſſimi quique pro ea, qua iuſtitiam, cuius illic ſacrum domicilium eſt, reuerentur & colunt, obſeruantia gladios quibus ſuccincti ſunt, vltrò deponere ſolent) quum in eum, inquam, ſacroſanctum locum furioſus quidam rabula armatus & viginti nebulonibus, ſicariisq; ſtipatus irruit, ſupremæ Francorum Curiæ iugulo gladium intentat, eamq; captiuam per triumphum ducens in carcerem Pariſinum (quem vulgò Baſtidem vocant) includit: cùm primus Curiæ pręſes, vt ſuæ Religionis ſtudioſiſſimus ac tenaciſſimus, ſi quis vnquam fuiſſe dicitur, ſic & contrariæ certus atque acerrimus aduerſarius, morte immaniſſima Toloſæ mactatur, omni crudelitate laceratur, raptatur, ſuſpenditur, idque nefaria Epiſcopi cuiuſdam & ſceleratiſſima coniuratione. Ecquam verò hæreſeos vel ſpeciem vel ſuſpicionem quantumuis minimam vnquam dediſſe viſus eſt! O immaniſſima & fœdiſſima furoris, crudelitatis & barbariei monſtra!

ſtra! quæ adeò ſupereſſe diu admodum nō poſſunt, niſi fortaſſe memoria quadā huic noſtræ tum ętati, tum nationi (quę eos tulit & aluit, atque etiamnum & fert & alit) probroſa, necnon, quocunque loci perueniat, execranda & deteſtabili.

Tertij autem ordinis homines, qui ex hoc ſaltem incommodo ſibi aliquid commodi comparare debuerunt, cogitent an vectigalibus & collationibus aliquatenus ſubleuentur, an à militum libidine & contumelioſa inſolentia vexationeque liberentur: num ſuæ officinæ in oppidis, aut villæ in agris cōmodiùs ſe habeant, vtrùm pecunia publica prudentiùs & frugaliùs quàm antea vel condatur, vel promatur. Sed contrà annon acerbiſſimæ & grauiſſimæ, tum pecuniarum, tum operum publicorum exactiones duplo augeantur: nonne in ædium ipſarum foribus gramen præ ſolitudine & vaſtitate naſcatur & creſcat, annon etiam pro vno ærarij depeculatore tres iam illud totum exhauriant & effundant. Niſi fortaſſe frugalitas appelletur ac parſimonia, clariſſimarum ac potentiſſimarum

domorum baiulis (perditissimæ ac infimæ populi fæci) permissa direptio: vt & iniquissimæ bonorum virorum vexationes & expilationes, qui in calamitate & confusione rerum tanta vehementer ingemiscunt & acerbissimè afflictantur. Quæ sanè calamitas ad breue omninò exiguumque tempus duratura videtur: indeque hoc consecuturum, vt vulgus, ædinm illorũ quos Politicos nominant direptioni, infestis animis & manibus assuefactum, atque (non aliter quàm lupi stragi, & cadaueribus) auidissimè inhians, deficiente iam præda, crudelissimè ac promiscuè in clarissimorum ac potentissimorum quorumque pecunias inuadat.

Meminerint prætcrea vrbes, quæ se ad coniuratorum factionem adiunxerunt, in quo antea statu essent, & in quo sint hodie. Quis enim commercium in syluarum recessibus quæret? Quis iustitiam iurisque fidem in Bastidis illius ergastulis? Quis doctrinæ & humanitatis studia, vbi mera barbaries, & omnes & omnia occupat? Et tamen hæ sunt veræ &, præcipuæ ra- ratio-

rationes, quibus vrbes ſplendorem, frequentiam opulentiamque tantam adeptæ ſunt: quibus etiam ſolis hac incolumia ac ſalua diutiſſimè retineri poſſunt. Hodie eſt hæreſis Politicum virum eſſe. Ita Politia illa, per quam maximè vnam vrbes floruerant & viguerant, tota nunc iacet. Cras verò nefarium & capitale facinus erit, diuitem eſſe. Cæterum ſi præſidia vrbibus imponantur, earum libertas perit. Cuius tamen nominis ſuauitas & quaſi titillatio eas oppreſſit ac perdidit. At ſi præſidijs ſint deſtitutæ, prædæ igitur expoſitæ ſunt: excubijs quidem & cuſtodijs obrutæ atque oppreſſæ, male tamen cuſtoditæ: ita vt ſingulis pænè momentis hoſtium inſidijs & iniurijs pateant. Ecce autem præclara illorum libertatis imago, ipſis eſt ſeruitus & carcer. In agris verò ſi malum hoc diuturnum ſit nihilo melior conditio futura eſt. Neque enim Rex pati vnquam poteſt à ſuis ſe ſubditis dignitatis ſuæ gradu deturbari. Acerbitas acerbitati opponenda erit: & vis vi repellenda. Seditioſorum effrænata licentia, contumeliam,

& immoderata libidinum atque iniuriarum intemperātia iniurias alias necessariò arcessent atque attrahent aduersus iniquam externi hostis vsurpationem ab externis auxilijs: Aduersus Hispanorum consilia & factiones, à Germanorum & Heluetiorum copijs succurrendum Regi erit. Agri nostri syluescent, vernacta verò desolabuntur. Et hoc quidem malum rustico & oppidano commune: malum Nobili itemq; Ecclesiastico commune: malum, quód nobis tum latrocinia in agris, tū furores in vrbibus duplicabit. Tunc verò væ tantarum calamitatum autoribus, væ etiam tantarum miseriarum fautoribus & adiutoribus.

Namque in eos populus istum furorem conuertet: atq; ipsorum sanguine tum suæ culpæ liberationem erratiq; veniam, tum suum otium & suam etiam vitam redimet. Atq; scelerum tantorum principes, & architecti suo tandem malo experientur, quanti momēti quantiq; periculi sit Regi sceptrum & Magistratui gladium eripere, quo populus armetur, & infinita intolerandaque licentia comprobetur.

En c[illegible]tant certè de suo solio Re-

gem exturbasse, & eius quidem discessu vacuum illud fecerunt. Sed respondeant, quæso, bona fide, cui tandem locum istum assignent: Ducine Mayennensi? Quotus verò quisq; Principum Christianorum existet, qui eiusmodi facinori, nō reclamet atq; intercedat. Qui hoc exemplo iniuriam sibi quoq; factam non sentiat? è nostra verò Nobilitate quot familiæ reperientur, quæ ne Lotharingiæ quidem parêre vnquam volent? ne dum illi se subijcere, qui & naturæ ordine, & successionis gradu postremum fere locum tenet in Lotharingia gente, quæ nihil habet illustrius & insignius, quam quod amplissima & clarissima Regum nostrorum & vicinorum Principum affinitate decorantur. Qui quidem ex Gallica illa Nobilitate istos Regni captatores, vel hoc vno superant, quòd & Franci nati sint, & Francium ingenium atque animum constantissimè retinuerint. Quàm graue sibi, quàm durum atque acerbum ducerent, tam vili & imbecillo iugo ceruices suas submittere? quàm turpe etiam & magnum existimarent, vitam suam, & dignitatem nouorum istorum hominum libidini subijcere,

 quos

quos ſibi natura adæquauit, quorum dignitas & Nobilitatis inſignia ex Lege Gallica æquo & pari cum cæteris Nobilibus iure continentur: quos etiam DEVS ipſe nulla re cæteris potiores aut præſtantiores effecit, niſi quatenus iſtorum audaciæ & arrogantiæ eos obiecit & ſubiecit? Quot aut generis Borbonij Principes proſternendi ijs ſunt ac confodiendi, priuſquam eò perueniant, quò volunt, Principes, inquam, & iure, & animo, & gratia atque autoritate aduerſus fictam iſtam vſurpationis Chimæram armati, pro quorum ſalute Nobilitas illa ſuum ſanguinem profundet. Nobilitas verò, quæ in eiuſcemodi rerum mutatione, vnà cum Monarchia ipſa ſepulta ſemper fuiſſe viſa eſt. Nobilitas cuius dignitas & honos, cum ſumma illa Regum noſtrorum & dignitate & honore coniunctus eſt: quæ denique ſuum illum altiorem dignitatis gradum, à Deo adeptum in vulgus obtinere non poteſt, cùm videbit ſummum ſuum Principem, à quo gladium, Nobilitatis inſigne, accepit, de ſuo ipſius gradu deiectum eſſe. Taceant hîc omnes, & factioſis iſtis per nos liceat,

quic-

quicquid animo libitum fuerit cunctanter & pro arbitrio agere. Si volunt ſuæ vſurpationis fundamentum ex ficta illa & animis ſuis concepta aroli Magni ſucceſſione arceſſere atque confirmare: quo tandem pacto inter eos & Lotharingiæ Ducem, illiusque liberos conueniet? Et vt illi de ſuo iure decedere vltrò velint, quomodo inter eos & ſtirpem Vaudemontanam? Quòd ſi coronam Regiam deberi putant, meritis, laboribus ac virtutibus, hoc eſt, vt vere dicam quod res eſt, nefarijs conſilijs & impijs factionibus defuncti Guiſij Ducis: qui fit igitur, vt illius hæredem ſuo iure fraudent? Tum cuinam dubium eſſe poteſt, quin cæteri omnes ex Lotharingia ſtirpe oriundi, Regni partem ſibi quoque aliquam vendicent? Hoc verò quid aliud eſt, quam totum Regni corpus lacerare, & ſingula illius membra inter ſe partire ac diuidere.

FRANCI, fingite hîc animo & cogitatione futuræ veſtræ conditionis imaginem. Hæ rerum tantarum ab vno extremo ad alterum mutationes, rarò vnquam fieri ſolent

 abſ-

absque violentissima euersione. Euersio autem illius domus, in quâ habitamus, fieri non potest, quin eius ruina obruamur. Corpus nostrum non antè in vermes & serpentes abit, quàm mors præcesserit. Illi etiàm serpentes ex huius Regni corpore, nec enasci nec erumpere possunt, quin illud sit prius resolutum, corruptum ac putrefactum: quin nos omnes, qui in eo tantùm viuimus, & vigemus illius quoque casum & interitum sentiamus. Facilè quidem est, cuilibet sceptrum appetere: facilè quoque plebi commotæ, & malè in Principem suum animatæ, rebus nouis studere. At inter ambitiosam cupiditatem & illius effectum, inter vestras adeò præcipites iracundias, & vestram, quam meditamini, vltionem ita longinquam, quot dimicationes, & prælia, quot cædes, direptiones, calamitatesque intercedent? Ne secula quidem ipsa huic dirimendæ controuersiæ sufficient: filius patris locum occupabit, & frater fratris; ita maximam rerum confusionem apud posteritatem perpetuaueritis; quæ idcirco vestros furores, vestram etiam

iam memoriam meritò execrabitur.

Quantò verò vobis eſſet opportunius pacis beneficio, modum aliquem & finem tot calamitatibus facere? Pacis, quæ ex tam tetro & caliginoſo Chao, in quod ipſi vos demerſiſtis, in lucem vos reuocaret: Quæ vos ipſos veſtro ingenio, mentiq; priſtinæ reſtitueret: quæ vos ab illis, quibus animi veſtri noctesque dieſq; tantopere ſollicitantur, anxietatibus liberaret; ab iſto etiam in quem vos conieciſtis, curarum & miſeriarum Labyrintho eriperet: ex quo quidem ſatis ipſi animo cernitis, vos non poſſe vnquam emergere, & cuius interim exitum nullum videtis. Pacis, inquam, quæ vnumquemque, in ijs quæ cara habet reponeret: quæ agricolæ ſuum aratrum: opifici ſuam officinam, mercatori ſuum commercium, agris ſecuritatem, vrbibus Politiam, omnibus citra diſcrimen rectam iuſtitiam redderet. Pacis etiam, quæ paternum Regis amorem vobis compararet, illi verò quam debetis & obedientiam & fidelitatem præſtaret. Pacis, vt verbo rem complectamur, quæ huic Regno, &

animam & corpus ſuum reſtitueret: Corpus quidem, quòd à ſui in mille partes per iſtos ambitioſos laceratione, non longè abeſſe videtur: Animam verò (præclaram illam Politiam dico, qua Regnum hactenus conſeruatum eſt) quæ à ſummo gradu ad imum vſque tota in cõfuſionem maximam præceps ruit.

His omnibus conſideratis, atq; vno quoque ſecum attentiſſimè cogitante malum, ſiue quod ipſe ſibi creat, ſiue in quod in tanta rerum confuſione incurrat neceſſe eſt; Confidimus eos, qui in ſuo erga Regem officio perſtiterunt, ſtudio & beneuolentia duplo etiam maiori ſuam illi aduerſus hoſtes operam in poſterum nauaturos. Eos verò qui nimis creduli & improuidi ad coniuratorum cõſilia & cauſam ſeſe applicarunt, ſui ipſius exitij adminiſtros minimè futuros, huius Regni arcem funditus in ſua capita ſubruentes: ſed potiùs à cauſa tam iniqua deſtituros, confugientes ad Regis clementiam, quam ſemper patẽtem, atq; adeò præſentem ijs habet, qui omni officij & obſequij genere, illius animum ſibi conciliare ſtudebunt.

Quòd

Quòd verò ad eos attinet, qui obstinato animo, Regi, Regno & sibi etiam ipsis infesti esse pergent, vt Dei indignationem, atq; hominum odium sibi meritissimò cōflabunt: sic est quod pro certo habeant, sibi à Deo insignem aliquam calamitatem & grauissimam pœnam suis flagitijs debitam, impendêre: Quam, vtinam Deus pro sua singulari bonitate pertinacibus istis citissimè maturet, vt eò citiùs, à tot malis & miserijs liberemur, atq; tam multi, tamque ærumnosi populi suis miserijs & calamitatibus leuati, commodis & otio aliquo perfruantur.

Nos autem verè profitemur, nulla omnino ambitione fuisse ad arma impulsos. Satis hactenus comprobauimus, eâ nos minimè omnium duci. Satis quoq; dignitatis & ornamenti consecuti videmur, qui hoc simus, quod sumus. Et huius Regni splendor ac decus perire non potest, quin ipsi quoque vnà cum eo pereamus. Nec vindictæ etiam cupiditas (vt Deus ipse nobis testis est) nos vel tantillum mouet. Nemo homo plures & grauiores iniurias, quàm nos, accepit. Nemo hactenus eas minùs est perse-

perſequutus. Nemoque omnium eas ipſas hoſtibus, ſi modò reſipiſcere velint: ſin minùs, Franciæ tranquillitati, paciq́ue libentius & liberaliùs condonabit.

Quod me grauiter afflictat, quodq́; ſine lacrymis, nec videre, nec præuidere poſſum: hoc vnum eſt maximè quòd huius regni ſtatus in eum iam locum deductus ſit, vt illius malum ita inueteratum, ita etiam obfirmatum, abſq; malis ſanari non poſſit. Et ab ijs quidem malis contra vulnus ipſum, & eos qui illud inflixerunt teſtificamur. Qui plagam eiuſmodi nobis impoſuit, ille ipſe tum ferri & cauterij, tum inciſionum ac dolorum, qui ab ijs inferuntur, reus eſſe planè videtur.

Sed ne plura: hoc vnum confirmamus, quod & teſtatum apud omnes relinquetur, nos optimi Chirurgi, qui ægrotum quidem amat, curã fidemq́; quantam maximam poterimus, ad id mali adhibituros. Hoſtes contrà, qui his tantis malis delectãtur ac paſcuntur, præter ferrum, adhibebunt etiam odium & dolum: quippe qui nulla re excuſari poſſint, præterquam ambitio

ne &

ne & huius Regni potiundi cupiditate: quam etiã ipſam explere omnino non poſſint, niſi vniuerſo Regni ipſius interitu: Interitu verò, quem nos ab hoc Regno cùm noſtris opibus omnibus, tum vitâ adeò ipſa libentiſſimè redimemus. Quin potiùs (vt Dei, Regum, atque Regnorum patroni benignitate confiſi, certò futurum ſperamus) iterum & intra paucos dies in laborum noſtrorum præmiũ fructumq; ampliſſimum, Regem in debitam & vnà cum ipſo natam autoritatem, Regnum etiam ipſum in priſtinum florem ac ſplendorem reſtitutum videbimus: quod ad Dei gloriam, ad verorum Gallorum gaudium lętitiamque, ad tot tamque calamitoſorum populorum conſolationem, deniq; ad eorum ipſorum, qui Regni totius exitium appetunt, ſummum animi dolorem redundabit.

Quæ cùm ita ſint, omnes ſummas Iuriſdictionis Curias, Gubernatores, Legatos, prouinciarum Præfectos, Seneschalos, aliosque Regiæ Maieſtatis Magiſtratus & adminiſtros rogamus, vt in ſua quiſque ditione, & pro ſuo quiſq; munere, toto animo, ope atq;

operâ

operâ nobiſcum contendant, & enitantur, ad noſtrum hoc propoſitum, ſuſceptumque conſilium iuuandum, & quoad fieri poterit perficiendum, quò Regis dignitati, amplitudini & rationibus conſulatur, caueatur. Ea eſt enim noſtra potiſſima cogitatio, cura & voluntas.

Salmurij 21. Aprilis 1589.



REGIS

REGIS NAVARRÆI SVPER INDVCIARVM INTER Franciæ Regem, & ipsum Nauarræum Regem Salmurij pactarum fœdere declaratio anno 1589.



HEnricus Dei gratia Rex Nauarræ, Primus Regij ſanguinis Princeps, Primus Franciæ Patricius, & Gallicarum Eccleſiarum quæ puriorem Religionem profitentur, patronus ac vindex, omnibus Prouinciarũ Rectoribus, vrbium, caſtellorum & arcium Præfectis, copiarum ductoribus ac moderatoribus, Ciuitatum Primarijs, Coſſ. ac Iuratis viris, denique cæteris, tum Regis ſummi noſtri Principis, tùm aliorum, quorum id intereſt, & qui ſunt in noſtra poteſtate, & clientela, Iudicibus ac Magiſtratibus ſalutem. Cùm ſit vnicuique penitus perſpectum planeque cognitum, nos in hoc miſero, & calamitoſo bello, neque arma cepiſſe, neque ea capta tenuiſſe, niſi quatenus ſumma nos eò adegerit neceſſitas: nec non actionibus noſtris omnibus, ſatis teſtati ſimus, quanto nobis dolori eſſet

esset hostium huius Regni scelere, nos armis hisce irretitos & implicatos teneri: contrà, quanta esset nobis cupiditas & studium defendendæ Regiæ Maiestatis ab illius hostibus: ad suam illi authoritatem, bonis autem ciuibus otium & tranquillitatem pristinam restituendam: interim tamen fuerit ea temporum nostrorũ iniquitas, vt cõsilia nostra licet optima, permultis & calumniosis artificijs adulterata atq; detorta: hostium autem praua voluntas prætextis speciosis, & ad sui commendationem, animorumque conciliationem maximè appositis tecta velataque fuerit: vsque adeò sanè, vt regnum nostrum ab extremo interitu & exitio non longè abfuisse visum sit, nisi Rex pro sua singulari prudẽtia, quanquam infinitis impedimentis oppugnata & interrupta, nostram innocentiam aduersariorum calumnia & peruersitatẽ inuolutam extricasset, atque inueteratam eorum malitiam per medios eorum fucos & ementitos colores perspexisset. Et quidem plerisque hoc omnibus iam liquidò constat hos ciuiles motus Religionis simulatione ac nomine velatos, regnandi nihilominus

nus libidine concitatos fuiſſe: eorum item autores necpetijſſe, nec inuaſiſſe eos qui puriorem mecum Religionem profitentur; ſed tum armis, tum autoritate & imperio ſibi ad eum maximè finem dato, fuiſſe abuſos ad huius Regni vrbes quæ non modò à Religione, ſed ab omni etiam Religionis ſuſpicione longiſſimè abſunt, occupandas: Eandem omnino fidem & Regi & Regno toti præſtant, dum ſuos concionatores ad eos, quibus hæreſeos crimen notamq; inurunt, à ſua illa ſcilicet hæreſi ad verum Dei cultum traducendos nō modò non adhibuerunt, ſed eorum etiã & lingua & opera vſi ſunt ad euerſionem huic regno inferendam, tanquam incendiariorum quorundam ad Regnum inflammandum, ad ſubditos contra ſuum Principem ſubornandos; ad eos è ſuorum Magiſtratuum obedientia auertendos, ad eoſdem ad ſeditiones atque rerum mutationem moliendam impellendos: Denique ad res omnes tum humanas; tum diuin s; delectu omni & diſcrimine remoto confundendas ac perturbandas: vnde non ſine grauiſſimo bonorum o-

mnium virorum dolore, in Gallica gente exarſerit incredibilis à Rege ſummo noſtro Principe defectio, & ex ea in pleriſque vrbibus ac prouincijs tanta confuſio, vt inanis illa pietatis & Iuſtitiæ vmbra & Imago, ſolidam & expreſſam vtriuſque effigiem, nempe Dei timorem ac illius veræ imaginis, hoc eſt, Legitimi & ſummi Magiſtratus, ab eo in rebus dubijs periculoſiſque temporibus conſtituti, obſeruantiam penitus ſuſtuliſſe ac deleuiſſe videatur. Nos igitur, noſtrum erga Regem ſummum noſtrum Dominum, officium agnoſcentes, & Regni ipſius vicem populique calamitatem intimis ſenſibus deplorantes, ad Regis Maieſtatem confugimus, illiusque poteſtati vitam noſtram opeſque omnes ad retundendam & infringendam hoſtium violentiam pro illius ſalute & dignitate, & ſuorum omnium fidelium ſubditorum in integrum reſtitutione vltrò & ſummíſsè obtulimus: teſtati, vt nunc etiam teſtamur, noſtra omnia conſilia ad illius tantum obſequium & obſeruantiam ſpectare, vt quiuis facilè iudicare poteſt. Quòd ſi noſtra fuiſſet alia

mens

mens, alius animus, occasio certè eaque opportunissima miserijs publicis ad nostram vtilitatem abutendi, nobis oblata erat,

Rex etiam ideò pro sua humanitate officiosam hanc nostram voluntatem tum candidè agnouit, tum libentissimè accepit: nécnon, vt faciliùs & commodiùs nostra opera vti posset, constituit hoc tādem, vt hostilibus armis vltro citroque abstineretur, fierentque Induciæ, ex quibus Deo iuuante, felicissimam pacem consecuturam speramus.

Quamobrem nos grauissimis hisce causis adducti, omnibus, tum vniuersis tum singulis, qui nostram autoritatem, fidemque & clientelam agnoscitis, quique pro suo quisque munere & parte in eandem nobiscum causam incumbitis, vobis edicimus, nos cum Rege summo nostro Principe ac moderatore de inducijs & infestorum armorum in toto hoc Regno intermissione & egisse & constituisse in annum integrum à 3. huius Mensis April. die, ad eundem eiusdem Mensis 3. & integrum diem. Atque in eo induciarum fœdere Comitatum Aueniosensem

nensem illiusque subditos, cùm in Regis summi nostri Principis fide & clientela sint, comprehensos volumus. Ideoque omnibus cuiuscunque ordinis & sortis hominibus interdicimus, nequid moliantur & aggrediantur aduersus ea loca, in quibus Regia Maiestas non solùm autoritatem, sed etiam imperium in suos tenet: vt nec aduersus illum ipsum Auenionensem Comitatum quocunq; ingrediemur, quacunque transibimus, vbicunque commorabimur, nominatim sancimus & vetamus, nequid attentetur aut suscipiatur contra bonos & fideles illius subditos & Ecclesiasticos maximè, nec quicquam in consueto Religionis Catholicæ & Romanæ ritu cultuq; nouetur aut interrumpatur. Vti etiam, si Dei beneficio dabitur, vt locum aut vrbem aliquam ab hostibus occupatam vi seu aperta, seu clandestina, seu alia quacunque ratione recipiamus, nos volumus ac præcipimus, vt in ijs quæ ad Regis obsequium & ad eandem Religionem Catholicam & Romanam nihil illîc immutetur, idque omnino secundum ea, de quibus cum Rege ipso summo nostro Princi-

pi

pe pluribus transegimus. Et quemadmodum ob has maximè caußas Regi pro sua benignitate placitum est, Regiæ manus in possessiones nostras iniectione nunc soluta, liberam bonorum possessionem concedere tam ijs omnibus, qui puriorem mecum Religionem profitentur, quàm alijs qui stant ab hac causa, vt facultatibus suis omnibus per totum induciarum tempus vtantur, fruantur: ita nostrũ quoque propositum hoc est, vt omnes Regis subditi, siue Ecclesiastici siue alij quilibet rebus suis liberè & placatè toto illo fœderis tempore perfruantur, in ijs locis quæ nunc tenemus. Et hac quidem de re præter has publicas literas, alias etiam priuatas ad id beneficij necessarias, conficiendas curabimus, vt illis hac ratione satis caueatur. Quamobrem vobis, quorum hoc maximè refert, atque munus est, mandamus, vt hoc rescriptum legi, promulgari, in Curiarum commentarios referri, denique illius capita, vt hîc perscripta præscriptaque sunt, singula diligenter fideliterq; obseruari ac præstari & quæ his impedimenta inferentur, ea sedulò ac funditus tolli velitis,

 iubea-

Iubeatis. Ad cuius rei fidem & testificationem, hisce nostris literis propria manu obsignatis ex nostro mandato, insigniorum nostrorum Sigillum appositum fuit. Datum Salmurij 24. April. Anno Salutis 1589. Atque ita signatum. HENRICVS. Et paulò inferius.

A Rege Nauarræ primo Principe, patricio & Reformatæ Ecclesiæ, vt suprà dictum est, patrono.

Berziau.



REGIS

REGIS NAVARRAEI IN SVA IN REGNVM Gallicum inauguratione iusiurandum atq; testificatio.

Adhæc,

MVTVVM REGII SANGVINIS Principum & aliorum, veluti Ducum, Patriciorum & Regni Gallici ministrorum ac Magistratuum iusiurandum.



NOs Henricus Dei gratia Franciæ & Nauarræ Rex, fide cautioneque Regia nostris omnibus probis ac fidelibus subditis, hisce literis propria manu obsignatis recipimus & iureiurando confirmamus, in nostro hoc Regno Religionem Catholicam, Apostolicam & Romanam, integram, illibatamque conseruaturos, facturosq; diligentissimè, ne quid prorsus innouetur aut immutetur, nec in illius Politia & professione, nec in Personis facultatibusq; Ecclesiasticis, in earum prouisione & Oeconomia, eorũ quidẽ, quos & idoneos & Catholicos esse constat:

idque omnino vti anteà testati pollicitique sumus. Quin & ex illa ipsa declaratione, quam nos, priusquã dignitatem Regiam essemus adepti, edidimus, paratissimi sumus, hocq; maximè vnum optamus à legitimo, libero generaliq; Concilio edoceri, vt, quicquid in eo statuetur ac decernetur, idipsum sequamur & obseruemus: quod etiam eo potissimùm consilio intra sextum mensem, atque citius adeò, si modo fieri possit, indicendum cogendumq; curabimus. Interim verò nullum aliùs Religionis exercitium fiet, nisi Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ, præterquam in ijs locis & vrbibus, in quibus altera iam instituta & constituta est, secundum eas conditiones, quæ inter Henricum tertium fato functum, fœlicissimæ memoriæ Regem, Dominum, fratremq; nostrum honoratiss. & nos ipsos superiore mense Aprili pactæ latæq; sunt: quoad quidem pace in vniuerso hoc Regno facta, visum aliter constitutumq; fuerit in Comitijs & trium ordinum cõuentu. qui nostro etiam iussu & autoritate intra præstitutum illud semestre spatium agatur. Adhæc promittimus, quas vrbes,

bes, castella & arces, ex perduellium manibus eripiemus, & aut armis, aut alia quacunq; ratione in nostram ditionem imperiumque redigemus, has nostrorum fidelium subditorum & Catholicorum duntaxat (cęteris omnibus posthabitis) fidei ac tutelę commissum iri: præter eas tamen, quæ ex fœderis illius capitibus a Rege defuncto exceptæ, & in vnaquaq; prouincia ac præfectura, ijs qui reformatam Religionem profitentur certis conditionibus in eo comprehensis, destinatæ fuerunt: Nos quoq; hoc pollicemur, quorumcunque Magistratuum & Gubernatorum interregnum alibi erit, quam in ijs oppidis & arcibus, quæ in Reformatæ Religionis hominum manibus sunt, nostra cura & mandato, Catholicos tantùm viros, fideles nobis subditos, & ad rerum administrationem idoneos, in demortuorum locum successuros. Præterea profitemur ac pollicemur Principibus, Ducibus, Patricijs, Regiæ coronæ administris, Optimatibus, Nobilibus, omnibus denique nullo discrimine habito, nobis fidelibus ac morigeris subditis, nos sua bona munera, dignitates, ordines, magi-

ſtratus, priuilegia, præfecturas, prærogatiuas, iura officiaque conſueta, ſarta tectaq; & integra ipſis conſeruaturos: ac nominatim eos, qui fideles defuncti Regis ſeruos ſeſe præſtiterunt, quocunq; poterimus beneficij præmijque genere libentiſſimè & liberaliſſimè proſequuturos: Poſtremò, fretos proborum nobiſque fidelium ſubditorum ope atq; opera, noſtras omnes facultates & vires, atque, ſi res ita ferat, vitam quoque noſtram profuſuros, vt iuſtæ ſeueritatis exemplum in eos ſtatuatur & educatur, qui tam nefarium parricidium, atrox facinus & commiſſoriam deteſtandamque perfidiam in defunctum Regem, Principemq; ac moderatorem noſtrum ſummum patrarunt ac ediderunt, è caſtris Sanclauij 4. Die Auguſti 1589. Signatum.

Henricus

Et Paulò inferiùs

Ruzeus.

IVSIVRANDVM REGII SANGVINIS PRINCIpum atq; aliorum Ducum, Patriciorum & Franciciæ Coronæ miniſtrorum Maieſtati Regiæ datum.

NOs Regij ſanguinis Principes, alijq; Duces & Coronæ Francicæ Miniſtri, Optimates, Nobiles, cæterique ſubſignati omnes, interim dum Principum, Ducum, Patriciorum & Coronæ miniſtrorum, atque aliorum Procerum, qui Regi Henrico huius nominis tertio (quem Deus à ſuis noxis omnibus ſolutum, pace ſempiterna frui velit) illius mortis tempore, fideles ſe ſeruos ac ſubditos præſtiterunt, conuentum expectamus: ex ijs quibus Regnum hoc nititur & ſtat Legibus, (quas vulgò fundamentales vocamus) Franciæ & Nauarræ Regem Henricum, Regem noſtrum, naturalemq; ac legitimum Principem agnoſcimus: atque, iureiurando, ac promiſſis, quæ ſupra ſcripta ſunt, nobis ab illo factis cõfiſi, omne illi obſequium atq; obedientiam promittimus, ac ſpondemus: ſub ijs quoque conditionibus, vt intra ſextum

tum

tum mensem Maiestas ipsius eorundem Principum, Ducum, Patriciorum & Coronæ ministrorum, aliorumq; Optimatum, qui Regij obitus tempore, in suo erga eum officio persliterunt, consilium congreget ac conuocet, vt communi omnes consilio & consensu de rebus ad huius Regni statum pertinentibus amplius deliberent atq; cōsultent: Concilij Comitiorumq; generalium decretis, præstolando, quemadmodum id ipsius Regiæ maiestatis pacto promissoq; confirmatur & sancitur. Cuius etiam bona venia nobis licebit (quod illi perquàm summissè supplicamus) vt insignes aliquot viri à nobis delecti ad sanctum nostrum Patrē, Romanum Pontificem dimittantur & ablegentur, apud quem eas, quæ nos ad hoc promissum faciendum potissimùm impulerūt occasiones nominatim singillatimq; edisserāt: ab eoq; impetrēt, quod tam ad Christianæ Religionis cōfirmationē ac progressionem, & Regię Maiestatis vtilitatem atq; obsequium quàm ad vsus Regni in pristino suo illo splendore, conseruationē necessarium esse iudicabimus. Nos etiam suppliciter & demissè hanc ipsam maiestate ob-

te ob-

te obteſtamur,atq; obſecram⁹,vt quod ipſa vltro nobis obtulit acpollicita eſt: quippe iuſtitiæ princeps & communis omnium ſuorum ſubditorum parẽs ad nefariã illud ſcelus ac execrandã perfidiã, & dedita opera patratũ defuncti Regis Henrici optimi noſtri Principis nuper interfecti (cuius manes ad omnem æternitatẽ ſolida felicitate diuino beneficio perfruantur) homicidium quàm grauiſſimè atque acerrimè poterit, vindcandum incumbat, vnde cæteri ad tale quid audiẽdum tardiores poſthac fiant. Quam quidem rem quò facilius feliciuſque perficere, ſimul & perduelles atq; eos, qui Regnum hoc vſurpare, quo iure quaq; iniuria contẽdunt, eijcere & exterminare poſſit: nos eidem Maieſtati quantùm poterimus maximam opem & operam, facultateſque vniuerſas, atque vitam adeo ipſam pollicemur, è caſtris Sanclauij 4. Aug. 1589. Atq; hoc iuſiurandum, ſuo chirographo obſignarunt.

1. Franciſcus Borbonius,	2. Henricus Aurelianenſis,
3. Franciſcus Lucẽburgius,	4. Ludouicus Rohanus.
5. Bironius,	6. Aumontius,
7. Inteuillæus,	8. Angeineus,
9. R. Angeineus,	10. Caſtellonetus.

11. Claremontius, itemque alij Proceres & nobiles permulti.

EPISTOLAE AB HENRICO III. GALLIARVM Rege ad Montis Belligardi Comitem missæ exemplum.



Osteaquam, Mi cognate, mei aduersarij suas omnes machinas & perfidias adhibuissent, vt quas moliebantur fraudes ac proditiones, ea suum aliquando exitum consequerentur: vidissent autem, Deo Opt. Max. vtpote Principum propugnatori ac iusto infidelitatis subditorum vindici, meæ authoritatis in pristinum statum restitutionem nec obscuræ nec mediocri curæ esse, idq; cum suo probro & dedecore maximo: illi tandem nullam sibi salutis spem, nisi in mea morte relictam esse, atq; oportere conspirationem, à se iampridem conflatam, ad finem sibi propositum perducere ideoq; nullum non facinus, quantumuis immane, & barbarum, attentare, in animum suum induxerunt. Quamobrem meo illo summo in meam Religionem studio, nec non libero ad me accessu, & mea, quam non inuitus facio religiosis omnibus miserisq; Ecclesiasticis, qui me compellare cupiunt, potestate abusi, atq; per hanc speciem, tum diuinas leges, tum fidem (quam vel vnus Ecclesiastici habitus

atq;

atq; vestitus præ se ferre debet) violare nihil veriti, nefaria sua consilia ita efficere cogitarunt. Ecce enim hoc ipso manè quidam è familia Dominicana adolescens à Generali meo Procuratore adductus, literas, vt ipse quidem dicebat, ab Harlæo primo in suprema mea Curia Præside, egregio & fidelissimo mihi seruo, & hac maximè gratia Lutetiæ in carcerem dudum coniecto, ad me daturus, atq; aliquid mihi eius nomine dicturus. in meum cubiculum meo ipsius iussu introductus est, nullo tum præsente, præterquàm Belgardio primo meo ex Nobilibus Cubiculario & Generali illo Procuratore. Postquam verò ille me salutasset, seq; mihi arcani aliquid dicere velle simularet, feci vt duo illi modò nominati viri secederent: tuncq; sceleratus iste me cultro percussit, trucidare me cogitans. At Deus, qui suorum rationem curamq; habet, per eam reuerentiam, qua soleo eos complecti, qui illius cultus & obseruantiæ se consecratos esse videri volunt, vitam me amittere non est passus, sed eam mihi pro singulari sua bonitate à periculo conseruauit, sicariiq; illius consilium impediuit, cultri ictum obliquè deflectens, vt ego Dei beneficio fretus plagam minimè lethalem arbitrer, sed sperem pristinam meam sanitatem breui mihi ab eo restitutum iri. Mihi

sanè

sanè dubium non est, quin eiusmodi viam ita fallacem & insidiosam execrentur & horreant, uti debent, cùm bonis omnes, tum principes maximè, ob illius iniquitatem summam, & perniciosum etiam exemplum. Et quoniam te in cæteris omnibus optimi propinqui, veriq; amici loco habeo; factu optimum iudicaui eo de casu te admonere; persuasum hoc habens, te, vt & facinus eiusmodi, & eos quibus autoribus illud commissum est, vituperabis, sic vehementer gauisurum, cum meæ salutis spem ex his intellexeris: Ita enim Deo dante breui futurum spero, quem rogo vt te, cognate mi, saluum & incolumen conseruet, è castris Sanclauij, primo Die Augusti 1589. Signatum. Henricus: Et Paulò inferiùs; Ruzeiis.

LITERARVM REGIS NAVARRAE CVM SVPErioribus ad Montis Belligardi Comitem missarum exemplum.

MI cognate; *scriptis à Rege Domino fratreq; meo iam vulnerato literis, tabellarium hunc consultò detinueram, vt de eius salute certior per me fieres. Sed postridie eius diei, qui fuit hesternus, in cœlū Deo ita volente ex hac vita migrauit; non sine acerbissimo*

suorum

ſuorum omnium fidiſſimorum ſubditorum, & meo præcipuè dolore ac deſiderio, tùm ob non mediocrem, qua me proſequebatur, amicitiam, tum ob grauiſſima difficilimaq́ue negotia, quæ mihi in hoc regno gerenda reliquit. Iſtud parricidium adeò ſcelcratè ab hypocrita quodam Dominicano admiſſum, à Deo & ab omnibus Chriſtianis Principibus & Optimatibus, ac potiſſimum ab ijs qui affinitate ac fœdere huic Coronæ cōiuncti ſunt, pœnas expetit: quas ego, quippe Regis Succeſſor, perſequi conſtitui: Ideoq́ue inſignem & grauem aliquem virum breui mittere, qui cum omnibus Germaniæ Principib., eademq́ue via tecum ipſo ea de re agat. Ego interim magnā tibi & habeo & ago gratiam, de tua illa erga me mihi perſpectiſſima beneuolentia, quam certè quidem maximi facio, confiſus, te, vt multis antè argumentis eam teſtatus es, ſic et in poſterum officijs multò maioribus eam ipſam teſtaturum, à te igitur, mi cognate, peto, vt eandem ſumma fide ſerues atq́ue etiam augeas: nec non id, quod de te mihi polliceor, promptum paratumq́ue habeas, vt pactum cōuentum tranſigatur. Atq́ue hic Deum rogo, vt te pro ſua benignitate in ſuam curam tutelamque recipiat. In caſtris, è ponte Sanclauij 3. Auguſti.

G Quæ

Quæ sequuntur Regis ipsius manu scripta sunt.

EGo, mi cognate, magni beneficij & gratiæ loco, tuum in me amorem semper habui, ex ijs quæ administri mei de te mihi renuntiarunt. Eum te, vt spero, in hac tanta occasione, re iam ipsa comprobabis; cum præsertim hæc mea controuersia tam iusta legitimaq; sit, vt magis esse non possit.

DVCIS LOTHARINGI AD ciues Lingonenses Literæ.

CRedo equidem (ciues integerrimi) vos satis intelligere, quanta ex defuncti Regis, qui fuit Princeps omnium maximè Catholicus, obitu, in Religionis statu mutatio futura sit, nisi maturè illi prouideatur. Atq; hæc vna caussa facit, vt mortem illius meritissimò deplorem ac lugeam: præter grauissimum etiam, quem inde capio dolorem, vel ob hanc præcipuè rationem, quòd et ego & liberi mei arctissimo affinitatis et summi amoris vinculo coniuncti essemus: id quod nobis non mediocri honori & ornamēto erat. Cumque omnes benè à natura informati, Principes honoris, cultusq; diuini studiosi & obseruantes in eiusmodi mutatione ad rem adeo caram & pretiosam, vti maiorum nostrorū religionem, in qua hoc Regnum altum euectū conseruatumq; fuit, retinendam, summam

curam

curam diligentiamq; adhibere debeant: Non possum, non omni. quanta potero maxima, ope & opera eniti, vt in re tam graui & seria meo fuisse officio perfunctus, & fidem, qua mea ipsius conscientiæ, & Regno potissimùm Gallico sum obstrictus, liberasse videar: cuius quidem miserabilem dissipationem breui futuram prauideo, nisi iam eadem ratione, qua antea, nempe Religione Catholica, Apostolica & Romana, fulciatur. A vobis igitur, ciues integerrimi, peto, vt quã maximè poteritis, in eam rem incumbatis, nec patiamini, recipiendis in vrbem vestram, hæreseos fautoribus & conscijs, vt ea existimatio, quam antiqua vestra in Deum & ipsius Ecclesiam pietate collegistis, maximo cum vestro dedecore & probro deteratur atq; obscuretur. Vos autem inuito & rogo, vt in pia illa voluntate, quæ vos toti Franciæ & vicinis nationibus plurimum semper commendauit constanter maneatis: credatisq;, si in ista sententia & studio perstabitis, nihil nec opis nec auxilij, quantũ quidem in me erit, vobis à me defuturum: idque vobis de me omnino persuasum habetote Quòd ad me verò attinet, vt, quantæ mihi curæ & commendationi hoc negotij sit, ostendam & re quoq; ipsa confirmem, constitutum etiam mihi est, filium meum Pontis Marchionem copijs quam potero maximis instructũ

tunc dimittere, vt Catholicis Franciæ laborantibus, & nominatim Lutetiæ Parisiorũ, vnde cæterarum totius regni vrbium salus pendet, præsentem opem ferat. Et hanc quidẽ meam voluntatem maximæ huius Regni parti gratam fore confido. Deum quoq; ipsum testor, me in hac tota re, nulla alia vel cupiditate vel consilio impelli, quàm vno illius obseruantiæ & cultus studio. Id quod me in omnibus meis actionibus & ipsis, quæ inde consequentur effectis, facilè comprobaturum spero. Nancei 10. Augusti 1589.

Lingonensium responsum.

N*Os tibi, ô Dux clarissime, serui perquam summissi, ex literis tuis summam voluptatem cepimus, quibus nos, vt in antiqua nostra Religione permaneamus, admones, simul & testificaris, quantopere summi totius terrarum orbis Monarchæ & Catholicæ Religionis pro cæteris omnibus longè obseruantissimi decessu angaris & mœreas. De nobis autẽ, tibi sic promittimus atq; confirmamus, nos à Religione Catholica, Apostolica & Romana, qua à multis seculis imbuti institutiq; sumus, nullo vnquam casu defecturos: Nihilominus tamen paratos, ad opem auxiliumq; regi ferendum, & ad generosæ illi Nobilitati Gallicæ, toti terrarum orbi formidabili, quæ ad illam gentibus omnibus detestabilem, & omni-*

omnium quæ vnquam factæ sunt, sceleratissimam ac perfidiosissimam, Regis Christianissimi cædem acerrimè vindicandam, se comparat, succurrendum, nostras omnes facultates & vitam etiam ipsam liberalissimè profundere: nec non totis nostris viribus, illis, qui de hac misera & miseranda morte quodã modo triumphant, nos ipsos obijcere & opponere: véritos, ne legitimi nostri Principis morte, aut consensione, aut dissimulantia quadã polluamur. Hoc autem penitus persuasum habemus, te, ô Dux illustrissime, pro ea, qua tu illi coniunctissimus fuisti, affinitate ac necessitudine, eadem mente ac voluntate affectum iri, ad tam dirum & atrox facinus vindicãdum, qua omnes vniuersi orbis Principes, qui eo vehementissimè commouebuntur, hinc satis edocti, suam ipsorũ rem et salutem iam agi & hinc quodãmodo pendere. Te verò suppliciter & summissè rogamus vt hoc tibi persuadeas, nos hac in re potissimùm, & in cæteris etiã omnibus tuo obsequio addictissimos, atq; eodem tecum animo & studio coniunctissimos semper fore. Lingonis 12. die Augu. 89.

Lingonensium de sua in Regem fide declaratio.

N*Os Regij Magistratus, Præfectus vrbis, Aediles, Lingonarum ciues & incolæ subsignati: Cùm in publicas ædes, super homi*

cidio à Dominicano quodam in HENricum Valesium huius nominis tertium defunctũ, nostrum fœlicissimæ memoriæ Regem ac Dominum, (cuius animæ Deus vtinam misereatur) perfidè admisso consultaturi hodie conuenissemus: Multis vrbis huiusce Præfecti et Aedilium admonitionib, cohortationibusq; grauissimus commoti, omnes summo consensu, ad Regiæ Coronæ splendorem atq; amplitudinem, & ad huius vrbis conseruationem, pro ea qua & maiores nostri, et nos etiam ipsi Reges nostros coluimus, fide & obseruantia Promisimis & iurauimus, Promittimus etiamnum et iuramus nos in hac Lingonarum vrbe in Dei metu cultuq;, atq; in Religionis Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ, qua tum maiores, tum nos quoq; ipsi imbuti & instituti sumus, professione, vna mente victuros, nec vllum omnino fœdus cum vllo aut in hoc Regno, aut extra Regnum facturos, ad vllam factionem, conspirationem, & consiliorum societatem ineundam, nisi quam probi & germani animo ac genere Franci, cum iure naturæ suo et legitimo Rege inire debẽt, idq; ex ipsius iussu & mandato: Neq; vllo modo de ea fide & obedientia, qua superiores nostros Reges obseruauimus, deflexuros, sed potius in ea fidelissimè & constantissimè ad extremũ vsq; Spiritum permansuros, quin etiam vitam ipsam,

psam, opes & facultates omnes effusuros, ad huius Regni statũ sartumq; tectumq; conseruandum, ad quibus Regnum ipsum nititur, quas fundamentales vocamus, leges sigillatim obseruandas & nominatim ad agnoscendum, vt reuera agnoscimus, Henricum Borbonium eius nominis IIII. summum nostrum Regem, quippe legitimũ Coronæ Regiæ heredem ac successorem. Ideoq; promittimus nos illi eandem prorsus fidem obsequiumq; præstaturos quod defunctis Regibus ipsius maioribus, præstare consueuimus. Adhæc nostras opes omnes & vitam quoq; exhausturos ad iustam illius homicidij perfidiosè in defunctum Henricum Regem patrati vltionem persequẽdam, nec non ad eam rem adhibituros, quicquid probi ac veri subditi ad rem tantam adhibere possunt, ac pro sua quidem parte debent. Postremò, nullum in hanc vrbem aditum ijs, qui aut turbas, aut seditiones aduersus obsequium illius Maiestati debitum in ea concitare possunt, daturos. Ad quarum rerum testificationem confirmationemq;, hanc nostram declarationem proprijs Chirographis obsignauimus 12. Augusti 1588.

FINIS.